STATUTA
DIOECESEOS
PITTSBURGENSIS
1906

1st Seminar

STATUTA

DIOECESEOS PITTSBURGENSIS

IN SYNODIS DIOECESANIS

LATA,

ET PROUT NUNC PROSTANT

PROMULGATA

IN SYNODO DIOECESANA DECIMA


Die 10 Mensis Octobris, A. D. 1905

HABITA,

AB ILL'MO ET REV'MO

REGIS CANEVIN,

EPISCOPO PITTSBURGENSI.



1906.



Very Rev. F. L. Tobin, V. G.
Pittsburg, Pa.

INDEX.

INDICTIO SYNODI.

Ill'mus et Rev'mus D. Regis Canevin, D. D., Episcopus Dioeceseos Pittsburgensis ad majorem Dei gloriam et ecclesiae bonum, necnon in obsequium sacrorum canonum, synodum decimam convocare in Domino judicavit; eamque die II Augusti festo S. Alphonsi Anno Salutis 1905 per litteras directas ad universum hujus Dioeceseos clerum, qui juxta Tridentinum, vel de jure, vel de consuetudine interesse debet, sequenti decreto indixit:

REGIS CANEVIN,

DIVINA PROVIDENTIA ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA,

EPISCOPUS PITTSBURGENSIS.

Dilecto Clero Dioecesano tam Saeculari quam Regulari, Salutem in Domino:—

A susceptis hujus magnae dioeceseos gubernaculis diligenti ac sollicita consideratione pensavimus, quod, licet universis et singulis Nostrae jurisdictioni subjectis, tamquam gregi Dominico Nobis Commisso, vigile debeamus curam impendere, primo tamen et principaliter officii nostri debitum in illos credimus exercendum, quorum vita et conversatio exemplum debet esse et speculum aliorum, et qui in seipsis debent ostendere quomodo alios in domo Dei oporteat conversari. Pastoralis, igitur, officii debito et obligationibus, quibus Divinae Majestati adstringimur, in quantum possumus satis facere desiderantes, cum Synodi dioecesanae, quarum coactio a sacris canonibus praescripta, a Concilio Tridentino praecepta et a Summis Pontificibus crebro est inculcata, inter primarias functiones episcopales numerentur et quasi validum fulcimentum ad nutantem in dioecesi disciplinam sustinendam habeantur, decimam Synodum Dioecesanam, praehabito Consultorum Nostrorum consilio, celebrandam constituimus.

Itaque, ad ecclesiastici ordinis disciplinam roborandam, populorum mores corrigendos, evellandos, si qui forte irrepserint abusus, ac prosperitatem Nostrae Dioeceseos promovendam, necnon ad quasdam Constitutiones emendendas, illarumque quae in aliis Synodis jam sancitae fuerunt urgendam exsecutionem, hisce litteris indicimus ac convocamus decimam Synodum Dioecesanam in ecclesia Epiphaniae Domini Nostri, hora nona antemeridiana, die decimo mensis Octobris anni currentis inchoandam et eodem die concludendam.

Hortamur autem, et, prout opus est, praecipimus ac mandamus, ut omnes qui de jure vel de consuetudine indictae interesse debent Synodo, tempore et loco statutis, conveniant. Qui autem canonico praepediti impedimento, Synodo adesse nequeunt, Judices Querelarum et Excusationum de ratione impedimenti certiores faciant.

Ut autem Synodus habenda ad omnipotentis Dei laudem et gloriam necnon ad Dioeceseos Nostrae utilitatem perficiatur, omnes in Domino enixe obsecramus ut orationibus a Patre luminum Nobis auxilium impetrent et seipsos Deo acceptabiles exhibeant.

Datum ex aedibus Nostris, Pittsburgi, die secunda mensis Augusti A. D. 1905.

✠ REGIS CANEVIN,
Episcopus Pittsburgensis.

De mandato Illustrissimi et Reverendissimi Episcopi.

JOSEPH SÜHR,
Synodi Secretarius.

Officiales Synodi.

Promotor: Rev'dissimus F. L. Tobin, V. G.

Promotores Foranei: Rev'dus J. Romelfanger; Rev'dus M. A. Lambing.

Secretarius: Rev'dus Joseph Sühr.

Secretarius assistens: Rev'dus W. J. McMullen.

Notarius: Rev'dus Herman J. Goebel.

Magister Ceremoniarium: Rev'dus Thomas Devlin.

Assistentes Ceremoniarum Magistri: Rev'dus M. M. Sweeney; Rev'dus Dom. Aurelius, O. S. B.; Rev'dus J. Greiner.

Judices Querelarum: Rev'dus A. A. Lambing; Rev'dus Joseph Antonius, O. M. Cap.; Rev'dus E. M. McKeever; Rev'dus J. Wernert, C. SS. R.; Rev'dus Joseph Gallagher; Rev'dus D. J. Malady.

Cantores: Rev'dus J. Otten, C. S. Sp.; Rev'dus J. Wertz; Rev'dus S. J. Schramm; Rev'dus C. Stepling, et al.

Officiales pro Conventibus praeparatoriis.

Rev'dissimus F. L. Tobin; Rev'dus J. B. Duffner; Rev'dus J. Sühr; Rev'dus E. M. McKeever; Rev'dus D. J. Devlin; Rev'dus A. A. Lambing; Rev'dus M. Ryan; Rev'dus P. J. Quilter; Rev'dus F. Keane; Rev'dus M. A. Lambing; Rev'dus J. Romelfanger; Rev'dus H. J. Goebel; Rev'dus C. A. McDermott; Rev'dus J. Price; Rev'dus Col. Gasparik; Rev'dus Jos. Zalokar; Rev'dus W. A. Cunningham; Rev'dus S. J. Schramm; Rev'dus J. T. Burns; Rev'dus P. Riegler; Rev'dus L. M. A. Miskiewicz; Rev'dus B. P. Kenna; Rev'dus F. Beneventano; Rev'dus A. Dzubay; Rev'dus M. C. Slatinski; Rev'dus J. S. Gorzynski; Rev'dissimus Leander Schnerr, O. S. B.; Adm. Rev'dus Ambrosius Bruder, O. C. C.; Adm. Rev'dus M. A. Hehir, C. S. Sp.; Adm. Rev'dus Carolus Speckert, O. M. Cap.; Adm. Rev'dus P. Michael, C. P.; Adm. Rev'dus P. Edgar, Prior, O. S. B.; Adm. Rev'dus Sixtus Lagorio, O. F. M.; Adm. Rev'dus Emeran Singer, O. S. B.; Rev'dus C. G. Ritter, C. SS. R.

N. B. Officiales pro Conventibus praeparatoriis in Lyceo Ecclesiae Epiphaniae hora 10ma A. M., die 29mo mensis Augusti primo convenient.

✠ REGIS CANEVIN,
Episcopus Pittsburgensis.

DECRETA.

NOS,

REGIS CANEVIN,

DEI MISERATIONE ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS PITTSBURGENSIS.

Vestigiis Illustrissimi ac Reverendissimi Michaelis O'Connor, Episcopi primi Pittsburgensis, fel. mem., inhaerentes, quae de Patrona harum provinciarum sequenti constitutione prima in Synodo sancita sunt, approbamus et confirmamus:

"Beatam Virginem Mariam peculiari devotione in hac dioecesi colendam cupimus, cumque haec Virgo Immaculata absque labe concepta in Patronam principalem harum provinciarum hujusque dioeceseos selecta sit, volumus ut dies festus Immaculatae Conceptionis peculiari cultu in omnibus dioeceseos ecclesiis celebretur, et ut fideles excitentur ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae frequentanda et ad lucrandas indulgentias illo die a Sede Apostolica concessas."

1. Decreta Conciliorum Plenariorum Baltimorensium, a Sancta Sede recognita, tam ad cautelam, quam ad solemnitatem, ecclesiasticam legem sequentes, iterum solemniter promulgamus, eaque in Dioecesi Nostra ab omnibus ad quos pertinent stricte sancteque observanda esse declaramus.

2. Quo melius vero haec decreta necnon hujus Synodi statuta observentur, volumus ut sacerdotes Nostri, ea frequenti studio pervolvant. Ad majorem autem observantiam tam Decretorum Conciliorum Plenariorum quam statutorum Synodalium Dioeceseos Nostrae, decernimus, ut ea discussionibus quae de more in collationibus ecclesiasticis habentur, subjiciantur, ab alumnis in seminario addiscantur et partem materiae pro annuo examine juniorum Sacerdotum constituant.

3. Constitutiones dioecesanas quascunque hoc libello haud contentas omnino revocamus et nullas declaramus.

NOTA. Episcopus in Dioecesi sua potestate leges ferendi pro omnibus dioecesanis non exemptis pollet. Verae legis perpetuitatem procul dubio habent Constitutiones ab Episcopo in Synodo promulgatae, et probabilius Statuta extra Synodum, audito tamen Capitulo, facta et promulgata. (Bened. XIV, de Synodo, I. 13, C. 5, N. 1.)

ACTA.

DECIMAE SYNODI DIOECESEOS PITTSBURGENSIS ACTA.

Per Literas die secunda mensis Augusti A. D. 1905 datas, Ill'mus et Rev'mus D. Regis Canevin, D. D., Episcopus Pittsburgensis, Synodum Dioecesanam decimam die decimo mensis Octobris A. D. 1905, in ecclesia Pro-Cathedrali Epiphaniae Domini Nostri, celebrandam indixit, et ad eam omnes vocavit sacerdotes Saeculares atque Regulares quotquot curae animarum in Dioecesi operam dabant.

Habita est Synodus tempore ab Episcopo praestituto. Siquidem die decimo Octobris, Reverendus E. M. McKeever Missam votivam "De Spirito Sancto" coram Episcopo celebravit, Synodalibus omnibus adstantibus. Finita Missa, Litaniis recitatis et cantato hymno "Veni Creator" Rev'mus F. L. Tobin, Vicarius Generalis, allocutionem habuit, in qua Synodi scopum necnon praecipua in ea statuenda disertissimis verbis enuntiavit. Dein lectum fuit Decretum de Synodo aperienda et nomina officialium Synodi promulgata fuerunt. Subinde lecto decreto de Fidei professione Secretarius omnium nomine professionem Fidei recitavit, quam omnes Synodales bini accedentes ad Episcopum tactis Sanctis Evangeliis et recitata Symboli conclusione "Ego N. N. idem . . . ." firmarunt.

Meridie omnes recesserunt, continuatione Sessionis ad horam 3 P. M. indicta. Hora vero secunda promeridiana omnes Synodales in sacellum ecclesiae Epiphaniae convenerunt.

Precibus peractis statuta, quae jam in coetibus praeparatoriis coram Episcopo per aliquod tempus ante Synodi celebrationem habitis parata fuerant a Secretario lecta sunt. Synodales, Promotore foraneo Rev'do J. Romelfanger moderante, libere ac debita cum reverentia mentem suam de decretis praelectis aperuerunt. Procuratores Cleri quidquid addendum vel

forsan immutandum Clerus censuerat, Episcopo communicarunt.

Posthac, hora tertia, omnes Synodales ad ecclesiam Epiphaniae redierunt. Deinde Secretarius instante Promotore annuenteque Episcopo Decretum confirmationis una cum emendationibus et novis statutis additis prelegit. Tunc Officiales Dioecesani renunciati sunt. Demum Notarius publice elenchum Synodalium legit, cui ad nominum vocationem 219 responderunt.

Facta admonitione de decretis observandis, Episcopus Synodo finem imposuit. Decantato solemniter cantico "Te Deum" acceptaque benedictione Episcopali, omnes in pace recesserunt.

HERMANNUS JOSEPH GOEBEL,
Notarius.

CAP. I.

DE PERSONIS.

1. Synodi Plenariae Balt. commendationi obsecundantes, Consultores[1] ad triennium juxta normam ab ipso Concilio traditam selegimus. Cum autem eorum consilium tunc tantum utile sit evasurum si candide, absque favore partium et sine timore quisque dicat quid in Domino expedire judicaverit, jusjurandum de munero suo fideliter praestando et de secreto de omnibus in suis congressibus dictis et actis servando ab iis requiremus.

2. Quolibet mense, statuto tempore, saltem semel conveniant; saepius autem cum id fuerit necessarium. Secretarius quae dicta vel acta sunt in registro annotabit.

[1] Eligendi erunt consultores ab Episcopo, ea tamen ratione, ut dimidiam eorum partem eligat ex sese, alteram vero partem nonnisi post propositionem cleri. Con. pl. III., 19. Eligentur ad triennium. Postquam electi fuerint nullus eorum invitus removeri potest nisi ex legitima et justa causa, et de consilio coeterorum consultorum. (Con. Pl. III., 21.) In locum consultoris recedentis, sive remotionis, sive renuntiationis via, Episcopus alium sufficiet, de consilio tamen reliquorum consultorum.

3. Illorum opera saepe utemur in rebus magni momenti in dioecesi suscipiendis; eorum autem consilium praecipue exquiremus:

I. Pro Synodo Dioecesana indicenda et publicanda.

II. In Missione seu parochia aliqua dismembranda, praehabito tamen dismembrandae Missionis Rectoris consilio.

III. Quando Missio seu parochia alicui familiae Religiosae tradenda sit, quo in casu etiam necessaria est Sanctae Sedis venia.

IV. In constituendis deputatis pro Seminario dioecesano.

V. In eligendo novo Consultore, necnon in eligendis examinatoribus cleri qui sint loco Synodalium.

VI. Quando agitur de bonis et fundis dioeceseos vel Missionum permutandis, aliisque agendis quae speciem alienationis prae se ferunt, ubi summa pecuniae valorem quinque Millium scutatorum superat. Con. Pl. III., 20.

VII. Duplicem Curiam juxta mentem Patrum Conc. Plen. Balt. III constituimus: alteram ad causas tum disciplinares tum criminales clericorum, alteram vero ad causas matrimoniales judicandas.

Prioris Curiae officiales ordinarii et necessarii sunt: Judex, Procurator Fiscalis, Defensor[1] et Cancellarius. Tribunalis vero Matrimonialis officiales sunt: Judex seu Auditor aut etiam Moderator — qui est ipse Ordinarius per se vel potestate delegata per alium suas partes agens —, Defensor Matrimonii et Notarius.

Modus a Con. Balt. Plen. III sapientissime traditus in utraque Curia exacte et religiose servetur.

4. Dioeceseos Officiales erunt: Vicarii Generales, Cancellarius, Decani Foranei, Examinatores Cleri, Officiales demum Curiae Nostrae pro causis clericorum et Tribunalis Matrimonialis.

5. Epistolae per officinam tabellariam missae, dirigi debent: To the Bishop's Chancellor, St. Paul's Cathedral, Pittsburg. Relationes, statum ecclesiae aliaque istiusmodi in-

[1] "Defensorem, qui semper sit vir ecclesiasticus, ut S. Congregatio petentibus Episcopis expresse declaravit, sibi eligendi accusato jus est." Con. Pl. III., 302.

dicantes, statutis temporibus, et juxta formas quas ad calcem hujus libelli appendimus, cancellario transmittantur.

6. Facultates vel dispensationes vel alia quaelibet quae ad firmitatem obtinendam Nostra auctoritate indigent, scripto semper petantur, et scriptum Cancellario Nostro transmittatur. Talibus petitionibus responsum scriptum, in archiviis a pastore retinendum, a Nobis dabitur.

7. Ad ecclesiasticam disciplinam melius faciliusque conservandam tres Decanos Rurales, facultatibus plus extensis munitos, constituimus.

"Eorum est, infirmis sacerdotibus intra suum degentibus territorium impendere curam, mortuorumque exequiis adsistere; sacerdotibus junioribus ac minus peritis suis adesse consiliis: Collationibus sive congressibus sacerdotum pro rebus theologicis discutiendis praesidere; ecclesiarum ac bonorum ecclesiasticorum custodiae et conversationi invigilare" et "aliquoties per annum Episcopo referre quae in ipsorum districtu notabilia contingunt." Con. Pl. II., 74.

8. Mentem Patrum Conc. Plen. sequentes, plures examinatores cleri dioecesani ad instar examinatorum synodalium, pro concursibus ad missiones in quibus rectori privilegium tributum est inamovibilitatis constituimus. Eorum opera etiam utemur sive pro approbandis confessariis, sive pro ordinandorum scrutinio, sive pro examine juniorum sacerdotum, sive pro examinandis alumnis qui in Seminarium majus admitti volunt. Electi examinatores juramentum praestent de munere suo sincere adimplendo ac de donis intuitu examinis non recipiendis.[1]

9. Sacerdotes omnes, etiam regulares vel alieni, postquam sacramenta administrandi potestatem illis commisimus, ut sacrarum disciplinarum studium foveatur et per experientiam additam scientia maturior et accuratior fiat, quotannis per quinquennium a die suscepti Presbyteratus, coram Nobis

[1] Obtenta facultate S. Sedis, Episcopus poterit eligere Examinatores extra synodum, auditis tamen consultoribus. Quod si morte, aut renuntiatione, aut alia causa praescriptus examinatorum numerus deficiat, Episcopus, de consilio consultorum, alios subrogabit. Con. Pl. III., 25.

Nostrove delegato et examinatoribus cleri dioecesani, stricto examini subjiciemus. Sacerdotes jam quinquies examinati et decem annis in alia Dioecesi approbati ab hoc periculo excusari possunt.

10. Notum fiet omnibus ab ipso anni initio, quibusnam quaestionibus ex variis ecclesiasticae scientiae partibus, Scripturae Sacrae, scilicet, Theologiae Dogmaticae et Moralis, Rei Liturgicae et Decretorum Conciliorum Balt. Plen. necnon Synodorum Dioeceseos Nostrae desumptis respondere debeant.

11. Si quis autem examini non satisfecerit, iterum, tempore a Nobis Nostrove delegato determinando, examinetur. Tot iteratis examinibus subjicietur, quot nulla vel insufficientia ab examinatoribus fuerint declarata. De singulis autem examinatis scripto exarabitur judicium in archivo Nostro custodiendum. Facultates autem sacerdotibus tali examini adhuc subjectis, tantummodo usque ad proximum examen annuum concedentur, adeo ut cessant quotannis ipso die examinis usquedum periculum coram examinatoribus absolvant. Qui quinquies in tali tentamine approbati fuerint tanquam plene approbati habendi sunt, eisque facultates usque ad revocationem concedentur.[1]

12. Quamvis omnia, quae sacris canonibus et praesertim Concilii Tridentini decretis de instituendis paroeciis sapientissime provisa sunt, hac in regione ad amussim servari non possint, tamen, ut disciplina hac in re ad normam Sanctionum canonicarum in tantum redigatur in quantum locorum circumstantiae sinunt, de Consilio Consultorum Nostrorum certas missiones, congrua ecclesia, scholis pro utroque sexu, domo sacerdotis usui accommodata et proventibus sufficientibus ac sat certis ad cleri, ecclesiae et scholae sustentationem instructas, quas aptas judicavimus ut paroeciarum instar haberi possint, et a Rectoribus inamovibilibus gubernentur, selegimus.

13. Ut quis autem sacerdos ejusmodi Missioni praefici valeat, opus est: I. Ut per decem saltem annos in dioecesi

[1] Maximi momenti hoc statutum pro sacerdotibus qui nondum quinquies explorati sunt. Facultates "usque ad revocationem" datae hoc decreto ab annuo examine usque ad proximum tantum examen conceduntur.

Nostra sacrum ministerium laudibiliter exercuerit; II. Ut intra id temporis spatium sese ad parochiam et in temporalibus et in spiritualibus administrandam habilem probaverit; III. Ut concursum faciat juxta normam a Concilio Balt. III. statutam; IV. Ut semper oneribus dioecesanis sublevandis satisfecerit. Pro prima tamen vice facultate a Concilio tributa omittendi concursum usi sumus et quos magis dignos et idoneos judicavimus, Consultorum consilio praehabito, Rectores[1] inamovibiles designavimus. Conc. Pl. III., 36, 37.

14. Reliquos vero sacerdotes monemus ut, memores promissionis in Ordinatione omissae necnon juramenti missionibus inserviendi, non detrectent vacare cuilibet missioni a Nobis designatae. Sciant enim adamussim in animo esse eorum opera uti, prout magis fidelium utilitati convenire in Domino judicaverimus, meritorum utique necnon virium et valetudinis cujusque et vitae sacerdotalis necessarii subsidii semper ratione habita.

15. Districtus etiam ecclesiasticos instar parochiarum illorum curae vel jam commissimus vel committemus, quos Rectores inamovibiles designavimus. Aliis rectoribus et missionariis quoque districtus assignentur intra quorum limites munus suum exercere et fidelium ibi degentium curam habere debent.

16. Quilibet sacerdos gerere debet curam fidelium qui in parochia vel districtu illo commisso morantur: iisdem sacramenta administrare tenebitur et eorum saluti invigilare. Decet etiam ex charitate ut diebus Dominicis et festis de praecepto sacrosanctam missam offerat pro populo.

[1] (a) Causae ob quas rector inamovibilis deponi possit et debeat in jure continentur. Pro praesenti rerum nostrarum conditione ad has causas nominatim pertinere declarantur septem, quas enumerat Conc. Plen. Balt. III, numero 38.

(b) Concursus institui debet coram Episcopo vel ejus Vicario Generali a tribus saltem ex dioecesanis examinatoribus loco synodalium vel prosynodalium, constitutis, quos Episcopus designavit. C. Pl. III., 41.

In scientiae periculo subeundo respondendum erit tum voce tum scripto. C. Pl. III., 44. Verum, in judicio ferendo de idoneitate competitorum non tantum scientiae habenda est ratio, sed aliarum quoque qualitatum, quae Rectoris animarum congruant officio. C. Pl. III., 51.

17. Extra parochiae vel districtus illi commissi limites nullum sacerdotem volumus exire ad munus pastorale exercendum, nisi forsan ad confessiones excipiendas infirmorum, qui eum arcessiverint, nec aliorum pastorum oves ad ecclesiam suam accedentes licebit ad sacramenta — excepta Eucharistia et Poenitentia — admittere, sine pastoris proprii consensu, si ipsius habendi copia sit, vel venia Nostra, nisi grave valde incommodum et detrimentum animarum ex ministerio denegato plane oriturum sit, de quo tenebitur pastorem proprium quamprimum scripto edocere.[1]

18. In casibus autem, in quibus ex hac extraordinaria facultate sacramenta administrant, cum id ordinario jure facere non possint, omnes stricte teneantur oblationes totas occasione sacramenti administrati acceptas illi restituere, cujus fuisset sacramenta illa administrare.

19. Statuimus etiam ut paschalis communio in ecclesia parochiali suscipiatur, et ut fideles saltem diebus Dominicis et festis de praecepto Missae in ecclesia propria parochiali adsint, eamque sub gravi sustineant. Sacerdotes, porro, sive saeculares, sive regulares monemus ne quid faciant quo fideles a propria ecclesia parochiali alliciantur. Quoties de matrimonio ineundo agitur licebit vel sponsae vel sponsi, in matrimonio vero mixto Catholicae partis, vel loci, ubi sponsa acatholica deget, pastori operam suam praestare. Sponsae pastori, in matrimonio vero mixto, pastori qui matrimonio assistit, semper tribuendum est stipendium.

Prohibemus ne quis absque proprii pastoris permissione vel Nostra licentia in scriptis, scamnum aut partem scamni in aliqua ecclesia extra ecclesiam suam parochialem conducat, salvis semper juribus Ecclesiae Cathedralis. Qui scamnum, tali permissione, in ecclesia aliena conducit, ipso facto, ejus Rectoris fit parochianus, et jura parochialia in ecclesia sui districtus amittit.

[1] In ecclesiis ubi plures simul sunt sacerdotes, unus erit pastor ab Episcopo designatus, "huic competit administratio ecclesiae seu congregationis; atque aliis sacerdotibus illi in ministerii adjutorium adjunctis non licet aliquid aggredi praeter pastoris voluntatem." Conc. Pl. Balt. II., 112.

Hortamur ut omnes ad confessiones audiendas approbati poenitentes etiam ab aliis paroeciis venientes benigne accipiant.

20. Cum ob linguae diversitatem plures erectae sint in hac Dioecesi ecclesiae in utilitatem eorum qui Germanico vel alio idiomate utuntur, pastores illarum ecclesiarum sacramenta administrare possunt, aliaque omnia pastoris officia peragere iis quorum lingua vernacula Germanica vel alia est et intra limites districtus illis commissi morantur.

21. a. Illi autem qui hisce idiomatibus utuntur et ecclesias pro talibus erectas noscuntur frequentare, ad illas tanquam si illis parochiales essent, pertinere putandi sunt. Quare alii parochi cum illis agent eodem modo ac si extra parochiam suam morati essent.

b. Alienigenae qui in districtu habitant saltem quinque millia a propriae suae linguae ecclesia remoto, ad hujus districtus parochiam pertinebunt. Pastor vero hujus districtus sub gravi tenetur saltem bis in anno sacerdotem eorum linguae gnarum providere ut confessionem peragere queant.

22. Districte prohibemus ne ullus sacerdos hujus dioeceseos familiam religiosam aliquam in parochiam vel missionem suam introducat quin prius consilium et consensum Nostrum obtinuerit.

23. Monemus omnes sacerdotes ne absque gravi ratione, a congregatione seu loco sibi commisso discedant, etiam ad breve tempus, praesertim die Dominica vel Festo de praecepto interveniente; et si discedendi per hebdomadem integram vel die Dominica necessitas extiterit, meminerint Tridentinam legem exigere ut "causa prius per Episcopum cognita et probata sit". Causa ita probata licentia discedendi a Nobis in scriptis dabitur, quae licentia semper subintellectam habebit strictam conditionem quod, absente pastore, et sufficienter et efficaciter provisum sit ab eo saluti animarum gregis sui.

Quotiescumque vero pastor a parochia vel districtu suo ultra diem abesse intendit, curet ut vicinus sacerdos in casu necessitatis vices ejus gerat. Prohibemus insuper ne vicarius per totam diem et multo minus ad horam noctis intempestivam, a domo parochiali absit, nisi cum consensu pastoris.

CORRIGENDUM:—Poenae enumeratae in decreto 26 (de delinquentibus in gravioribus delictis) non incurruntur nisi in foro externo post probatum delictum.

24. Sacerdotes maximam semper diligentiam impendant ut ecclesias sibi commissas statutis temporibus visitent, et cum aliquod munus publice exercendum est, tempus usu statutum vel antea annuntiatum non nisi ex gravissima necessitate praetermittant, et in hoc eorum conscientiam graviter oneramus. Neque debent leviter mutare dies, quibus missa in aliquibus ecclesiis celebrari solet, etiam cum id satis mature annuntiare posse putent.

25. Niceni Patres, Sacerdotum virtuti et famae consulentes, mulieres nullas cum illis habitare permiserunt, praeter matrem, aut sororem, aut amitam, in quibus naturale foedus nihil permittit saevi criminis suspicari: quam sanctissimam disciplinam etsi consuetudo plerisque in locis nonnihil emolliverit, sacerdotibus tamen hujus dioeceseos mandamus ut curent pro posse eas tantum sibi ancillas seligere, quarum aetas provecta, et fama illibata omnem suspicionem amoveat.

26. Mandamus ut clerici tabernas prorsus divitent, nisi forte causa necessitatis vel in itinere constituti; nec ad spectacula accedant inter quae etiam quae vulgo "operas," "theaters," "circus," "base-ball," "horse-races" et "foot-ball" vocantur, numeranda sunt.[1]

Praeter poenas in labantes, alibi commemoratas, decernimus quoque delinquentes in gravioribus delictis, infra notandis, eo ipso suspensionem incurrere, atqua summaria remotione ab omnis officii gradu et muneris, sine alia sententia, fore puniendos; scilicet, dolus gravis in pecuniis, modis interdictis, accipiendis ac elocandis; mendosa deceptio vel magna socordia et negligentia in libris comptuum et annalibus Ecclessiae curandis ac administrantibus; adulterium, fornicatio vel alia immania carnis delicta; adeuntes domus, infamia notatas, quas honeste nominare haud licet; infamiam subire ac animadversiones in seipsos concitare propter ebrietatem vel frequentationem tabernarum aliorumque locorum quorumcumque in quibus potus inebriantes immoderate dispensantur ac intemperanter maleque adhibeantur.

27. Stricto praecepto sacerdotibus Nostris injungimus ut tam domi quam foris, sive in propria dioecesi degant, sive

[1] Conc. Pl. Balt. II., 153. Conc. Pl. III., 79, 80.

extra eam, collare quod "romanum" vocatur, gerant. Praeterea monemus ut omnes clerici saeculares Nostrae dioeceseos in ecclesia et schola et domi in quantum fieri potest, veste talari, quae clerico propria est, utantur. Cum vero foras prodeunt veste breviori, quae tamen nigri sit coloris et ad genua producatur, indui licet.

28. Sacerdos quilibet sive saecularis sive regularis qui hanc dioecesim, qualibet de causa, relinquit, eo ipso privatus maneat facultatibus omnibus in eadem illi concessis, quamvis iterum in eam redeat, nisi speciali permissione eas continuari concedamus.

29. Districtissime et sub gravi prohibemus ne in ulla ecclesia vel oratorio Nostrae dioeceseos, licentia aliquod munus clericale exercendi a quocunque sacerdote concedatur :

I. Cuicumque clerico vago et ignoto aut ex alia dioecesi ejecto aut excommunicato, etiamsi alias probis videatur moribus.

II. Omni suspenso aut omnibus privato facultatibus si Nostrae sit dioeceseos.

III. Cuicumque ex hac dioecesi ejecto, aut in aliam aut in Religionem, aut in Societatem aliquam religiosam, propter reatum, etiam non juridice probatum, dimisso.

IV. Omni quamvis optimis fulcito litteris commendatitiis aliorum Ordinariorum vel quorumcumque Superiorum, qui sine praevia Nostra licentia scriptis exhibita pecuniam in Nostra ditione, quacumque pro causa, colligere ausus fuerit; salvis semper papalibus mendicantium privilegiis.

Aliis autem clericis dioecesim transeuntibus, vel moram in ea pie sancteque gerentibus, munera suis Ordinibus congrua quae jurisdictione non indigent, exercendi facultas ultra concedi licet donec recursus ad Nos commode haberi queat.

CAP. II.

DE SOCIETATIBUS.

1. Quum ex societatibus religiosis bona multa oriantur dummodo bene sint institutae, et e contra mala haud levia

timenda sint, si male constituantur vel dirigantur, Nostrum esse duximus haec de illis decernere.

2. Nulla societas tanquam societas religiosa in hac dioecesi agnoscetur nisi societatem ipsam et scopum quem sibi proponit et statuta quibus regitur, post institutum debitum examen approbatione dignam judicaverimus, quam approbationem in scriptis obtinere debet.

Tres autem seligemus sacerdotes qui constitutiones et regulos omnium societatum, de quibus dubium oriatur, stricto examini subjiciant.

3. Statuta sic a Nobis approbata Nobis inconsultis mutari non debent.

4. Leges et Statuta Dioeceseos a quavis societate religiosa stricte observanda sunt. Quando agitur de festivitatibus pro pecuniis colligendis scripta Episcopi licentia, per Rectorem Ecclesiae cui adjuncta est societas, obtineri debet. Societas, quae legibus non obedit, uti mere saecularis et haud approbata habenda est. Omnis Capellanus seu spiritualis Moderator cujusvis societatis a Nobis eligendus et approbandus est. Nulli autem sacerdoti licebit munus Capellani seu spiritualis Moderatoris pro societate non approbata peragere.

5. Non intendimus societates omnes quas ut religiosas non agnoscimus, ex hoc solo capite condemnare, dummodo nullo alio vitio laborent.

6. Nisi societas quaelibet sit ut religiosa a Nobis modo supradicto approbata, nec in ecclesiam nec ad processionem religiosam, tanquam sociorum caterva admittatur. Nec sacerdoti licebit vel ejus conventus annuntiare, vel opus ab ea susceptum vel suscipiendum publice commendare, vel collectiones pro ea sancire, vel aliud facere quod eam aut ejus instituta approbari indicet.

7. Militibus tamen hujus Republicae vel Civitatis, urbis vel municipii apparitoribus — "police" —, custodibus quorum est incendia extinguere—"firemen"—ecclesiarum ostia semper patebunt; nunquam tamen Liberis Muratoribus, Sociis Singularibus vel aliis societatibus ab Ecclesia vel a Nobis non approbatis.

8. Sodalitates Operariorum qui nihil aliud sibi pro-

ponunt quam in juribus suis defendendis mutuo sese tueri et adjuvare non damnamus, si tamen justitiae limites non excedant.

9. Quae de societatibus hic statuimus nullo modo respiciunt illas quae a Sede Apostolica approbatae sunt.

10. Sacerdotibus quam maxime commendamus ut in suis paroeciis Confraternitates instituant. Piam Societatem "Propagationis Fidei" a qua tanta beneficia in nostras missiones profluerunt, "Consociationem sacrae Familiae" et sodalitatem "Matrum Christianarum ad reformandam educationem domesticam," necnon confraternitatem "St. Vincentii a Paulo" et "Societatem SS. Cordis" et "Sanctae Infantiae" in omnibus congregationibus, pro posse, introduci cupimus. Societates ad "Abstinentiam Totalem" promovendam et "Sacrae Sitis" magna laude dignas agnoscimus, easque curae paternae cleri Nostri magnopere commendamus, ut eis "non modo animos addant sed etiam semitam Catholicam semper demonstrent."

11. Quando die dominica, occurrente primarii lapidis benedictione vel alia hujus modi solemnitate religiosa, Catholicorum societates vel processiones per vias incedunt, tubarum concentum, tympanorum pulsationem et alium quemvis strepitum non approbamus. Vide num, 11, Cap. VI.

CAP. III.

DE BONIS ECCLESIAE ADMINISTRANDIS.

1. a. Universales Ecclesiae Canones vetant ne novum templum temere vel absque Episcopi auctoritate erigatur, ideo nemini licere declaramus in hac dioecesi de nova aedificanda ecclesia, aut de veteri novis structionibus amplificanda, statuere aliquid vel moliri absque facultate Nostra in scriptis.

b. Praecipimus sub poena suspensionis ne quis sacerdos deposita mutuae pecuniae (loans or deposits) quingentos aureos ($500) superantia recipiat, nisi Episcopi veniam in scriptus prius obtineat.

c. Quinque sacerdotes experientia prudentiaque probatos

et ex nationibus hac in ditione numero potioribus selectos, Commissionem de Fundis Aedificiisque investigandis constituimus. Eorum erit fundos ad usum alicujus congregationis acquirendos, et aedificiorum extruendorum lineamenta, descriptionesque (plans and specifications) examinare, necnon, utrum congregatio tanta onera sustinere possit, investigare. Consilium tantum hisce de rebus nobis praestabunt. Ad hanc commissionem nominati in munere suscepto ad proximam usque dioecesanae synodi celebrationem permanebunt.

2. Decretis Conc. Balt. inhaerentes decernimus, nulli dehinc presbytero licere, seclusa venia Ordinarii in scriptis dato, nomine ac jure proprio retinere sive ecclesiam, sive scholam, sive domum presbyteralem, sive coemeterium aut bona quaevis alia ecclesiastica, pro quorum acquisitione fideles qualicumque modo subsidia contulerint, sed in ipsum Ordinarium jus omne bonorum praedictorum quamprimum transferendum esse, salvis ceteroquin regularium privilegiis. Omnes, porro, tituli — "deeds" — proprietatum ecclesiasticarum in archivo dioecesano deponendi sunt.[1]

3. Ut omnis suspicio et periculum avaritiae vel minus peritae administrationis rerum temporalium ecclesiae, et odium quod in illis administrandis saepissime contrahitur, a sacerdotibus procul removeantur, in unaquaque ecclesia quatuor saltem viros prudentes, curatorum instar ad mentem Conc. Balt. III, tit. IX, cap. IV, nominabimus, quorum consilio utatur sacerdos in administrandis rebus temporalibus ecclesiae, dum autem jubemus pastorum horum consilio uti, nolumus illos quidquam agere illo inconsulto aut renitente. Praeses vero illorum et aerarii custos ex-officio erit pastor, nisi aliter Ordinarius disposuerit. Si aliqua controversia inter eos oriatur tota res Ordinarii judicio subjiciatur.

[1] "Quod si quis sacerdos absque permissione Ordinarii titulum talium bonorum proprio nomine per tres menses retinuerit, volumus ut canonica poena plectatur." Con. Pl. III., 280.

Tituli omnes (deeds) Cancellario dioecesano exhiberi debent antequam in tabulas publicas inscribantur; hac enim ratione ab erroribus praesertim legalibus servantur.

4. Curatores unoquoque triennio, mense Decembri, a qualibet congregatione ex nominibus a Rectore propositis eligantur. Pro singulis curatoribus eligendis duo vel tria nomina proponere debet Rector. Priusquam munus suscipiant ab Ordinario sunt in scriptis approbandi, et manent amovibiles, pro justa causa, ad nutum ejusdem.

Quum autem morte, renuntiatione vel alia quacumque causa in Curatorum coetu numerus deficiat, novus — approbandus ab Episcopo — Curator tantummodo ex nominibus a Rectore propositis a reliquis Curatoribus seligatur.

5. Sub gravi praecipimus ut omnes Sacerdotes curam alicujus ecclesiae vel missionis habentes in hac dioecesi librum — "Church Records" — loco tuto conservent et in eo sequentia adnotent:

a. Reditus permanentes, et immobilia omnia ad ecclesiam vel missionem pertinentia.

b. Debita hypothecata et omnia alia similia, quibus missio vel ecclesia oneratur.

c. Chartas omnes assecurationis — Insurance policies — aedificia vel mobilia ecclesiae aut missionis contra incendium vel alia pericula protegentes; necnon nomina societatum a quibus obtentae sunt, earumdem valorem et diem expirationis.

6. Quaevis mobilia in parochia pastor tanquam sua vindicare vult, accurate in inventario designari debent. Omnia quae in hoc inventario non sunt clare designata ad ecclesiam seu parochiam pertinere judicanda sunt, et sub poena suspensionis, ipso facto incurrenda, ea alienare aut abripere prohibetur.

Hujus inventarii rerum Rectoris propriarum unum exemplar a sacerdote et curatoribus subscriptum apud Cancellarium Nostrum, aliud in archivo parochiali deponendum est.

Singulis annis hoc inventarium recognoscatur, et catalogus addendorum, si quae sint, a rectore et curatoribus signatus, cancellario una cum annua relatione transmittatur.

7. In altero libro — "Cash Book" — accurata descriptio omnium proventuum quorumlibet, necnon omnium expensarum habeatur. Hoc si quis neglexerit, sciat se amotioni ab officio suo obnoxium esse. Priusquam sacerdos aliquis ab

ecclesia transferatur, libri computus et inventarium ab eo ac curatoribus in ordinem redigi, et a commissione ab Episcopo delegata approbari debent, ut omnis fraudis suspicio vel scandali occasio praecaveatur.[1]

8. Debita quingentos aureos superantia quibus ecclesia gravetur contrahi, vel opera quae sine tantis expensis ad finem perduci nequeunt, suscipi non debent Nobis inconsultis vel non explicite in scriptis consentientibus ut debita contrahantur aut pecunia expendatur.

9. Decernimus ut quilibet sacerdos, cui curam alicujus Ecclesiae vel missionis commisimus, mille scutata per annum, ratione salarii, accipiat; adjutor, seu sacerdos auxiliarius, octingenta, quorum dimidiam partem, nempe quadringenta scutata, Rector pro hujus victu retinere valeat. Sumptus necessarii ad domum sacerdotis calefaciendam, illuminandam et aqua supplendam ex redditibus Ecclesiae solvi possunt.

Qui duarum vel plurium Ecclesiarum curam habet mille et ducenta scutata accipere potest; et qui (sive unius sive plurium Ecclesiarium curam habet) equo uti debet, de cujus necessitate Ordinarius semper consulendus est, mille et ducenta scutata pariter sibi vindicare potest.

"Minori tamen summa contenti sint oportet Sacerdotes, casu quo eorum Missio vel Missiones per reditus suos annuos statutam congruam suppeditare nequeant." Con. Pl. III., 273. Nec salaria ex bonis ecclesiae jam acquisitis percipiantur.

10. Si redditus ex scamnis conductis provenientes ad stipendium suum haud sufficiant complendum, fas erit rectori quidquid desit ad summam statutam ex collectis vel oblatis desumere ordinariis. Sed tunc stipendium unoquoquo anno percipere debet rector. Quod si neglexerit, non poterit vel minimam ejus partem iterum exigere, sed censebitur ecclesiae summam donasse non collectam.

Volumus autem et districte praecipimus ut nulla pecunia ad aliquem particularem finem collecta ad salarium vel finem alienum divertatur.

[1] "Decernimus ut quoties sacerdos missionis cui praesit possessionem assumit, inventarium hujus missionis ad illud usque tempus rite descriptum, eidem a praedecessore vel a vicario foraneo exhibeatur." Conc. Balt. III., 276.

Pecunia a qualibet Ecclesia pro Cathedratico, Seminario et Aerario dioecesano quotannis solvenda sub poena ipso facto suspensionis ante primam diem Octobris Cancellario mittenda est.

Omnis collecta pro quacunque necessitate, ab Ordinario imperata, sub poena ipso facto suspensionis intra triginta dies Cancellario vel personae a Nobis designatae transmitti debet.

11. Quotannis, ante primam diem Februarii, relationem uniuscujusque missionis a prima die mensis Januarii usque ad diem trigesimam primam mensis Decembris, factam juxta schedulam antea a Cancellario transmissam, et a Rectore ac Curatoribus subscriptam, Nobis transmittere debet Rector, qui similem relationem coram congregatione, ante finem mensis Januarii, legere tenetur.

12. Statuimus ut (a) nullus Rector aut alius sacerdos pecunias Ecclesiae in mensa nummaria (Bank) sub nomine proprio unquam teneat; et (b) ut libellus nummarius, (Bank Book) in quo deposita Ecclesiae referuntur, sub nomine Ecclesiae pariter ac sub nomine Aerarii custodis inscribatur.

13. Quum Nostrum sit statutis temporibus veram de statu dioeceseos relationem ad Sanctam Sedem transmittere, maximi interest et in temporalem ecclesiarum Nostrarum administrationem diligenter inquirere. Normam autem a Patribus Concilii Balt., statutam sine magno incommodo ad adamussim haud sequi valemus. Ut autem in quantum adjuncta sinunt, eorum dispositionibus hac de re morem geramus, totam dioecesim in quosdam districtus dividemus, et cuilibet districtui duos vel plures sacerdotes praeficiemus, quorum erit libros computus et rationum omnium ecclesiarum in eorum districtu examini subjicere, ut Nobis accuratam de statu ecclesiarum relationem reddere possint. Cum igitur rectores de loco ac tempore talis investigationis certiores facti fuerint, sub gravi libros designatos Commissioni submittere debent.

14. Mandamus sub poena suspensionis, ut omnis pastor intra tres menses post haec decreta promulgata, omnisque sacerdos ad pastoris officium posthac admissus intra tres menses post installationem, testamentum suum (will) rite conficiat, et sub eadem poena, ipso facto incurrenda, litteras, in

quibus notum fiet in quo loco tuto testamentum inveniri possit et ubinam testator sepeliri velit, sigillo si lubet munitas, Cancellario intra decem dies post testamentum confectum, mittat.

15. Omnia quae Concilia Plenaria Balt. V "De modis prohibitis[1] pecuniam ad pias causas colligendi" statuit, hic urgemus et ab omnibus hujus dioeceseos sacerdotibus adamussim servanda praecipimus. Sub gravi ergo prohibemus:

a. Conventus illos vulgo dictos "Pic Nics," "Excursions," "Lawn Fetes" et alios ejusmodi omnes, quocumque nomine appellentur, qui sub dio haberi solent, si usque in noctem protrahantur.

b. Ne ullus conventus publicus animi recreandi causa simulqui lucri percipiendi permittatur tempore Quadragesimae, Adventus, vel in festis ac jejuniis de praecepto.

c. Potus inebriantis in festivitate qualibet sive populi ob recreationem concursu sub nomine vel in lucrum ecclesiae aut Religionis habito, vel talis festivitatis occasione etiam in loco vicino venditionem vel donationem. Sub nomine potus inebriantis comprehenduntur vinum, cerevisia et quod appellatur "swankey."

Nec culpam nec poenam suspensionis effugiet sacerdos qui, ut prohibitionem evadat, alios quidquam ex vetitis sub hoc numero facere vel directe vel indirecte permittat.

16. Sacerdotibus, sive regularibus sive saecularibus, Fratribus et Sororibus cujuscunque ordinis vel societatis religiosae nullo modo sine Nostra et pastoris loci venia scripto

[1] Inter praecipuos modos pecunias ad pias causas colligendi a Conc. Plen. III prohibitos, sunt:

(a) "Praxis pecuniam exigendi ad fores ecclesiae Dominicis ac Festis diebus, ut quis ingredi possit ac sacrosancto missae sacrificio interesse."

(b) Atrox et indigna eorum agendi ratio "qui, ubi gravis culpa non apparet, sacramentalis absolutionis beneficium denegant fidelibus qui nolint collectis stipem dare . . .; imo etiam aegrotantibus ac morti proximis adsistere ac sacramenta praebere recusant."

(c) "Intra missarum solemnis ab altari recedere, aedemque sacram circumire et a singulus fidelibus eleemosynam petere." N. N. 288, 292, 293.

exprimenda, pecuniam in Nostra ditione liceat colligere, salvis semper mendicantium privilegiis papalibus.

Valde autem fidelium caritati commendamus Sorores Parvulas Pauperum necnon Boni Pastoris, eisque licentiam colligendi eleemosynas ubique in hac dioecesi hisce libentissime concedimus.

CAP. IV.

DE JUVENTUTE INSTITUENDA.

1. Vehementer hortamur missionarios ut nullum non moveant lapidem ut juniores in fide instruantur et spiritu religionis imbuantur. Curent ut doctrina Christiana instruantur, ut in bonis moribus educentur, ut sacramenta frequentent a teneris annis, et alia omnia boni Christiani officia peragere discant. Non possumus hujus rei necessitatem exaggerare, cum ex ea neglecta maxima mala exorta sint et in posterum orientur, si pastores non curent ea indefessis curis removere.

2. Quod ut quam efficacissime assequantur, quatuor sequentia Conc. Balt. No. 199, iteramus statuta, atque decernimus:

a. Prope unamquamque ecclesiam scholam parochialem satis amplam ubi nulla existit, infra duos annos fundandam esse atque deinceps sustendandam, nisi Nos ob alicujus missionis paupertatem vel aliam gravissimam causam, dilationem concedamus.

b. Pastorem precedenti negligentem obtemperare statuto et a Nobis monitum, remotionem ab illa ecclesia sine alia causa mereri.

c. Missionem vel paroeciam quae sacerdotem in erigenda vel sustentanda schola adjuvare ita negligat, ut ob hanc supinam negligentiam schola existere non possit, a Nobis esse reprehendendam ac quibus efficacioribus et prudentioribus modis, inducendam ad necessaria subsidia conferenda.

d. Omnes parentes Catholicos prolem suam ad scholas parochiales mittere teneri, nisi vel domi vel in aliis scholis Catholicis Christianae filiorum suorum educationi sufficienter et evidenter consulant, aut ob causam sufficientem, a Nobis

approbatam, et cum opportunis cautionibus remediisque ad alias scholas mittere ipsis liceat. Quaenam sit autem schola Catholica Ordinarii judicio definiendum relinquitur. Pro iis autem qui scholas publicas et acatholicas frequentant praeter diem Dominicam, detur quoque instructio religiosa, die et hora magis apta, saltem semel per hebdomadem.

Quum tamen Episcopo impossibile erit omnes causas sub paragrapho praecedenti comprehensas audire et disceptare, sacerdotes quosdam, alios in aliis Dioeceseos partibus, designabimus, quorum erit casus tales investigare ac de iisdem Nos certiores in scriptis reddere, ut sic judicium prudens proferre in Domino possimus. Qui tamen parentes Catholici liberos suos scholas non catholicas frequentare sine licentia Nostra permittant, peccatum grave patrasse sunt habendi et absolutio eis est deneganda donec resipuerint.

3. Ut habiles ac periti adhibeantur ludimagistri et magistrae, — statuimus ac mandamus ut nemo in posterum ad munus docendi in schola parochiali admittatur a pastore nisi qui praevio examine se habilem et idoneum probaverit.

4. Cujus decreti ut finem securius assequamur, plures nominavimus sacerdotes qui dioecesanam Commissionem examinationum constituunt, quorumque erit omnes personas, religiosas aeque ac seculares, officio docendi in scholis parochialibus fungi cupientes, examini subjicere juxta regulas in decreto supra laudato traditas. Tempus, locum, materiam aliaque omnia ad examen spectantia, Nobis approbantibus, statuet Commissio.

5. Et aliam designavimus Commissionem, sacerdotes nempe qui cum aliquibus laicis, si lubet, in rebus scholasticis bene versatis, ex quibus unus vel duo singulas scholas parochiales in plagis statutis saltem semel in anno visitent, et relationes annuas de scholarum earumdem statu ad Commissionis praesidem transmittant, cujus cura relata omnia coram tota Commissione poni debent ante finem mensis Junii.

6. Hujus Commissionis etiam erit, "inspectorem" scholarum, libros, regulas et omnia alia ad bonum scholarum et educationis spectantia proponere, et, Nobis approbantibus,

statuere et efficere. Commissio et "inspector scholarum" Nobis annuam relationem reddere debent.

7. Ut omnes fideles ac praesertim parentes, ecclesiae mentem et disciplinam de scholis Catholicis intelligant, et sic ad officia sua in hac gravissima re implenda facilius inducantur, decernimus quod omnis animarum pastor, semel saltem in anno, praedicabit de juventute recte ac christiane instituenda concionem, in qua statuta Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii hujusque Synodi hanc rem tractantia clare explicabit.

8. Ubicumque satis amplae sint ecclesiae facultates, omnibus parochiae parvulis patere debet, quin ulla exigatur taxa, schola parochialis. In missionibus etiam pauperioribus, egenorum pueri sine solutione quacumque ad scholam admitti semper debent.

9. Totum onus pueros instituendi ludimagistris vel religiosis minime potest imponere pastor, quippe qui agnos aeque ac oves gregis sui pascere tenetur. Scholam igitur semel saltem in hebdomada visitare, parvulis recitantibus adesse, quaesita proponere, meritos commendare, segniores excitare, et praesertim catechismum explicare ipse et vicarius sacerdos debent.

10. Ipsa verba Decreti 218 Conc. Plen. Balt. III. propria reddentes,

"Jubemus ut parvulorum curam assiduam habeant animarum rectores, praesertim quo tempore parantur ad sacram synaxim primo tempore recipiendam, et quidem ut ipsimet rectores et eorum vicarii praedictos parvulos diligenter catechismum doceant." [1]

CAP. V.

DE SACRAMENTIS.

1. Fontes Baptismales, qui sub clavi esse debent, in unaquaque ecclesia hujus Dioeceseos, ubi Baptismi Sacramentum

[1] "Per triduum autem ante communionem tum exercitationibus piis, tum generali potissimum confessione, praeparentur ad illam; ipsa vero die solemnitate maxima Divinum panem sumant, cuncto populo spectante, etc." Conc. Pl. Balt. II., 260.

ordinarie ministratur, erigendos statuimus, ut decreto quinto decimo Concilii Primi Baltimorensis et universali Ecclesiae disciplinae morem geramus. Curandum est, quoad fieri potest, ut hoc sacramentum in ecclesia conferatur. Prohibemus, autem, ne, in civitatibus et oppidis in quibus ecclesia erecta est et pastor habitat, quis nisi de vita periclitans in privatis aedibus baptizetur. Missionariorum autem singulorum erit judicare quandonam rure degentibus infantulos suos ad ecclesiam deferre baptizandos nimis grave foret ob itineris longitudinem vel difficultatem.[2]

2. Ad officium sponsorum acatholici non sunt admittendi; quapropter si contigerit aliquem se sistere ad hoc munus suscipiendum, prudenter et suaviter monendus erit munus illud ei non convenire; nec licebit ejus nomen Registro Baptismali ullatenus inserere.

3. Librum Baptismorum et Matrimoniorum in unaquaque Ecclesia habendum esse sub poena suspensionis decernimus, et sub eadem poena statuimus ut relatio sacramenti administrati in eisdem quamprimum inscribatur.

4. Praeter illa Baptismorum et Matrimoniorum regesta in omni ecclesia servanda, alia quoque praescribuntur, Confirmationum, scilicet, et Funerum. Haec omnia in loco securo custodiantur et relationes propriae in iis quamprimum referantur.

5. Sacerdotibus omnibus hujus dioeceseos in memoriam revocamus, non licere Sacram Eucharistiam apud se retinere vel secum deferre nisi urgente necessitate aegrotis succurrendi. Quum autem ea extiterit necessitas, meminerint quanta cum

[2] "Gravissima reprehensione digni sunt Sacerdotes, qui infantes ab aliena, sive paroecia sive dioecesi, sibi oblatos temere baptizant, cum facile a proprio pastori baptizari potuissent." Conc. Pl. II., 227.

"Censemus infantes acatholicorum, quos ipsi parentes afferunt, baptizandos esse, quando probabilis affulget spes catholicae eorum educationis. Tunc autem patrinus, vel matrina, iique catholici habeantur. Infantes vero, in mortis periculo, omnes baptizari non solum possunt, sed debent." Conc. Pl. II., 229.

"Baptizandi sunt adulti omnes moribundi, quoties prudenter judicari potest, eos non certo respuere fidei gratiam; tunc enim sub conditione baptizari possunt." Conc. Pl. II., 230.

reverentia se gerere oporteat qui ipsum Dominum sub speciebus sacramentalibus ferunt. In extrahendo Sanctissimo e tabernaculo una saltem candela accendi debet. Dum Illud ferunt Sanctissimum Sacramentum, cum nemine citra necessitatem colloquantur, et statim post infirmi visitationem in tabernaculum Illud reponant. Nunquam absque stola vas in quo Sacra Eucharistia asservatur, multo minus ipsum Sacramentum, tangere debet Sacerdos. "Vas porro in quo Sacramentum defertur bursa decenter ornata et ad collum appensa, apte includere, et ad pectus alligare," juxta Ritualis regulam, non omittant.

6. Missa in domibus privatis non celebretur nisi forsan statio habeatur ut sacramenta fidelibus administrentur, et hoc fieri non debet absque permissione speciali nisi in loco qui quinque saltem milliaria ab ecclesia distet, neque privilegium altaris portatilis, quod vi indulti Apostolici sacerdotibus concedere solemus, ab hoc discedendi permissionem includit.

7. Quum in his quae pertinent ad missarum celebrationem, episcopi "etiam ut delegati Sedis Apostolicae" ex Concilii Tridentini decreto agant, incommoda, quae ex coetu fidelium habendo mediam sub noctem in die Natalis Domini, in his regionibus nascuntur prae oculis habentes, prohibemus ne ecclesia ulla, oratorium aut capella hujus Dioeceseos aperiatur fidelibus ad officia divina vel sacrum accedentibus, ante quintam horam post mediam noctem in festo praedicto.

8. Facultatem duas missas eodem die celebrandi ex indulto Apostolico concedere Nobis licet. In hac tamen re conscientia Nostra graviter oneratur. Illam omnibus sacerdotibus qui in hac Dioecesi missam celebrare possunt sic communicamus, ut illam exercere valeant quandocumque in sua vel alia ecclesia necesse erit ut compleatur numerus missarum quae diebus Dominicis et Festis de praecepto celebrari solent. Nolumus autem ut absque Nostra speciali licentia, numerus iste ita extendatur ut de ordinario duae missae sint ab eodem celebrandae, neque ut sacerdotes absentia sua hanc necessitatem absque venia Nostra aliis imponant.

9. Sacerdos missam celebraturus, omnes vestes profanas

circa collum amictu cooperire tenetur. Nil aliud in tabernaculo est reponendum quam vas cum Sanctissimo Sacramento, vel alia quae Rubricae praescribunt; non autem linteamina altaris, calices vacui et purificati vel bursae, multo minus suppellectilia altaris vel ecclesiae.

In lampadibus coram Sanctissimo Sacramento in tabernaculo reposito "utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, lampades ex oleis vegetabilibus nutriantur." (S. R. C. 9. Jul. 1864.)

Duae candelae ex cera confectae in missa privata, sex in missa cantata accensae habeantur.

10. Oves suas moneant et cohortentur Parochi ut singulis, si fieri possit, diebus et praecipue in Festis Domini Nostri et Beatissimae Virginis et Patroni Ecclesiae, ubi nulla adest legis obligatio, missae sacrificio devote interesse velint, quod ipsi Parochi qua decet pietate ac reverentia hora praefinita, quantum fieri poterit, offere non omittant.

11. Statuimus ut stipendium pro missa celebranda sit unum scutatum — $1.00 —. Pro missa autem solita hora cantata quinque scutata, extra horam consuetam decem vero scutata, et pro Missa Solemni, viginti scutata exigere licet, in quibus tamen stipendiis exigendis sacerdotes debita cum prudentia sese gerent ut omnis pactionis et turpis lucri suspicio amoveatur. Ex stipendio Organista compensari debet.[1]

12. Nemini licet tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter nequeat, salva tamen contraria offerentium explicita voluntate.

Post annum a die suscepti oneris, sacerdotes aut alii obligati missarum onera nondum impleta cum sua eleemosyna Ordinario aut S. Sedi sub gravi tradere tenentur. Qui missas

[1] "Statuimus ne quis plus neque regulariter minus stipendium exigat quam Episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit." Conc. Balt. Plen. II., 369.

"Justum stipendium censetur illud quod ab Episcopo taxatum est, aut, hac determinatione deficiente, a consuetudine. Majus vero stipendium, sive expresse sive implicite exigi nequit, accipi tamen potest liberaliter oblatum." Lehmkuhl II., N. 198.

cum sua eleemosyna Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevantur. Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti.

"Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas est mensis pro missa una, semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, juxta majorem vel minorem numerum missarum." S. Cong. Conc. die 11mo Maii 1904.

13. Ubi viget consuetudo oblata accipiendi et pro pluribus defunctis missas prima hebdomada Novembris celebrandi, oblata aequaliter inter pastorem et assistentes dividenda sunt; unusquisque vero septem missas offere tenebitur.

14. Sacerdotes monemus non eos tantum qui ad sacramenta Eucharistiae et Confirmationis recipienda praeparantur, ad Poenitentiae sacramentum adduci debere, sed omnes postquam ad usum rationis pervenerint quamprimum induci debere ad hoc sacramentum accedere. Sacerdotes autem hortamur ad omnem suam operam impendendam ut illud pie et devote frequentare omnes a teneris incipiant. Optimum erit si tempus speciale eorum confessionibus audiendis deputaverint et invigilaverint ut omnes tunc accedant.

15. Decretum de erigendis Confessionalibus in ecclesiis in loco patenti et publica, juxta Ritualis Romani praescriptum, omnino ubique servandum si alicubi forte aliqua neglectum fuisse contigerit, iterum iterumque praecipimus. Ne autem ullo sub praetextu, res tanti momenti negligatur, vetamus sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, omnibus sacerdotibus sive saecularibus sive regularibus, ne in suis aedibus vel cellis, vel alicubi, extra confessionalia in ecclesiis vel sacellis publicis erecta, confessiones mulierum vel puellarum excipiant; exceptis quae surdae sunt, vel quas aegrotantes et infirmas invisent vel quae accedunt ad confitendum in missionibus procul ab ecclesia, vel in ecclesiis ipsis tempore devotionis Quadraginta Horarum, vel in exercitiis spiritualibus, in quibus vero adjunctis omnino curandum erit ut locus in quo

excipiuntur hujusmodi confessiones publicus sit et patens. Confessiones surdarum quae in ecclesia aut sacristia audiuntur, et confessiones aliarum mulierum vel puellarum quae in ecclesiis vel in sacellis publicis, tempore devotionis Quadraginta Horarum aut in exercitiis spiritualibus audiuntur, per crates interpositas excipi debent, nisi necessitas excuset.[1]

16. Curent rectores animarum ut fideles ad sacramentum Matrimonii recipiendum bene parati accedant pro ipsius sacramenti sanctitate ; quapropter ad sacramentum Poenitentiae et etiam ad Eucharistiam prius accedere eos hortentur.

17. Quum Matrimonium sacramentum magnum sit in Christo et in Ecclesia, rite semper et sancte est celebrandum. Graviter ergo peccant qui, sacerdotum neglecto ministerio, coram magistratu civili, gravius adhuc qui coram praecone Protestantico illud contrahunt vel contrahere attentant. Vehementer quoque reprobamus eorum agendi rationem qui in matrimoniis mixtis coram sacerdote Catholico prius contrahunt et postea coram praecone vel magistratu vel vice versa. Nullus sacerdos in hac dioecesi adsistat matrimonio coram praecone vel magistratu celebrando vel jam celebrato. Cum enim matrimonia coram sacerdote contracta etiam in foro civili valida habeantur, nulla legitima causa hic intercedit cur se coram ministro acatholico sistant. Ut autem, quantum possumus, fideles ab illicitis his matrimoniis deterreamus, decernimus ut quicumque posthac coram praecone Protestantico, in quocumque casu matrimonium contrahunt vel contrahere attentant, excommunicationis sententiam Nobis reservatam, ipso facto incurrant; et qui coram civili magistratu matrimonium contrahere, vel attentare praesumunt, sciant se grave committere peccatum Nobis, Vicario Nostro Generali et Vicario Foraneo reservatum. Absolutio taliter excommunicatis qui scandalum publicum dederunt tantummodo ab eorum pastore in foro externo et in coetu fidelium impertienda est. In casibus vero reservatis

[1] Ecclesiae nomine, ad confessiones audiendas, sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens. Conc. Pl. II., 296.

Omnia etiam ultro quocumque nomine oblata recusent confessarii; nec vel ipsam Missae eleemosynam in hoc sacro Tribunali offerri sinant. Conc. Pl. II., 289.

reparatio scandali, ante absolutionem, per publicas preces coram fidelibus in ecclesia fieri debet, sive preces ante cancellos altaris effundendo sive viam crucis peragendo.

17. Quum Concilii Tridentini Decretum de Matrimoniis Clandestinis in hac Dioecesi nunquam promulgatum fuissse noscatur, matrimonia quae coram parocho vel alio sacerdote ex Ordinarii licentia cum duobus testibus non sunt contracta, valida habenda sunt quoties non obstat cultus disparitas ob Baptismi ex alterutra parte defectum, vel aliud canonicum impedimentum. Caveant, idcirco, sacerdotes ne consensum matrimonialem iterum exquirant ab iis qui ita conjuncti sunt, ne forte fideles suspicentur hujus modi conjugia in conscientia vim non habere, sibique liberum existiment ad nova vota transire.

18. Cum Synodus Plenaria Baltimorensis banna matrimonialia ubique in his Provinciis publicari jusserit, nostrum est huic legi obtemperare; quapropter nullum matrimonium post hac celebrari debet nisi banna antea sint ter publicata.

19. Quando partes contrahentes domicilium habent in diversis paroeciis, pastoris, qui matrimonium est benedicturus, providere erit ut bannorum proclamatio fiat etiam in ecclesia alterius contrahentis, quae quidem obligatio non est fidelibus matrimonium contracturis relinquenda. Hoc vero in casu sacerdos non benedicat matrimonium, quin prius certior factus sit litteris a pastore alterius contrahentis quod nullum existat impedimentum.

20. Si, autem sacerdoti matrimonium benedicturo necessarium videatur dispensationem a bannorum publicatione obtinere, supplicationem in scriptis faciat, rationes omnes manifestans ob quas haec dispensatio concedenda esse videatur, quam supplicationem ad Cancellarium Nostrum transmittat.

21. Ut nimiae facilitati quaerendi dispensationes a bannorum proclamatione occurratur, qui unam promulgationem omitti voluerint, duos aureos; qui duas promulgationes, tres aureos; qui omnes omitti desiderant, quinque aureos solvant. Summopere, tamen, cupimus ut lex ecclesiastica adamussim servetur atque graviter oneramus conscientiam sacerdotum ne

absque vera necessitate dispensationem in matrimoniis mixtis et bannorum promulgatione postulent. Petitiones pro dispensationibus fiant in scriptis, juxta formulas probatas, et dentur, si nihil obstat: (a) nomen et cognomen oratorum sine ulla literarum abbreviatione; (b) rationes canonicae sub poena nullitatis; — S. C. de F. 9 Maii 1877. Con. Pl. Balt. III., 131 et Append.; (c) si agatur de matrimonio mixto, declarandum est utrum pars acatholica sit baptizata. Pro singulis dispensationibus in matrimoniis mixtis in quibus vir est Catholicus, taxam duorum thalerorum — $2.00 — ab hoc tempore imponimus ad cancellariam sustentandam.

22. Pastor, in quantum fieri potest, curare debet ut sponsi in doctrinis et officiis Christianis sint bene instructi antequam eos matrimonio conjugat.

23. Cupimus ut matrimonium inter Catholicos semper in ecclesia et ante meridiem, et, in quantum fieri potest, cum missa pro sponso et sponsa, celebretur. Nunquam liceat celebrare matrimonium post meridiem cum musica aliave solemnitate.

24. Sacerdotes omnes, quantum in se erit, curabunt ut in matrimoniis mixtis apostolicae Sedis decreta sancte serventur. Priusquam igitur, sacerdos matrimonio assistat mixto, antequam verba consensus suggerat, necesse est ut et pars acatholica et pars Catholica, coram uno saltem teste, scriptis acceptaverit conditiones ab ecclesia praescriptas, easque fideliter servandas promiserit.[1]

25. Quum lege divina vetitum sit eos separare quos Deus conjunxit, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, Nobisque reservatae prohibemus iis qui divortio civili sejuncti sunt ne ad nova transire vota attentare audeant, quam poenam etiam incurrent qui cum iis qui divortio sejuncti sunt matrimonium attentant.

26. "Iis omnibus, qui matrimonio conjuncti sunt praecipimus, ne inconsulta auctoritate ecclesiastica, tribunalia

[1] "Post celebratas mixtas nuptias, parochi gravi conscientiae onere se gravari sciant invigilandi ut promissae a conjugibus conditiones observentur et effectum sortiantur." Con. Pl. III., 133.

civilia adeant ad obtinendam separationem a thoro et mensa. Quod si quis attentaverit sciat se gravem reatum incurrere et pro Episcopo judicio puniendum esse." Decr. 126, Conc. Pl. III.

27. "Ut ab ecclesiastico ordine omnis vel minima avaritiae suscipio, aut simoniacae labis species in eis praesertim quae ad sacramentorum administrationem spectant, penitus amoveatur," (verbis utimur sapientissimi Pontificis Benedicti XIV.) caveant sacerdotes ne aliquid exigant a fidelibus occasione sacramenti ministrandi, vel aliquid ea de re paciscantur. Caeterum, nullo pacto inhibemus ne rectores recipiant quae sponte offerant fideles juxta laudabiles consuetudines, in sacrorum ministrorum sustentationem, occasione matrimonium celebrandi vel Baptismum ministrandi.

28. Librum matrimonialem in omni ecclesia esse servandum, et in ea quamprimum a rectore unumquodque matrimonium esse inscribendum juxta Ritualis Romani praeceptum, sub poena suspensionis jubemus.

CAP. VI.

DE RITIBUS.

1. Rituale Romanum Baltimori prolatum juxta Decretum Concilii Baltimorensis III. et ex auctoritate Summi Pontificis Gregorii XVI, et Compendium ejus adoptamus; et ritus in eo praescriptos ab omnibus sacerdotibus in hac Dioecesi adhibendos esse jubemus: et contrarias consuetudines, si quae forsan alicubi in hac Dioecesi obtineant, abrogamus et nullius esse roboris decernimus.

2. Curent omnes Missalis et Ritualis Romani Rubricas accurate observare. Consuetudines autem quae his adversantur, quamvis in aliis regionibus vigeant, diligenter evitent. Ubi autem Rubricae nil sanciunt, conentur quantum possunt in publicis officiis uniformem agendi rationem prosequi, nec ulla exercitia publica praeter ea quae in Rituali et Missali praescripta sunt Nobis inconsultis in ecclesias inducant.

3. Caeremoniale ad usum ecclesiarum in his provinciis Baltimori typis mandatum, et ab Archiepiscopo Baltimorensi approbatum, vel aliud a Nobis approbatum, ab omnibus in hac Dioecesi observandum esse jubemus.

4. Diebus Dominicis ante missam parochialem, (vulgo "High Mass" dictam), ritus "Asperges Me" ut in Missali Romano traditus semper perficiatur.

5. Quoniam ad S. S. Eucharistiae majorem venerationem confert ne passim et sine causa publicae fidelium adorationi exponatur, (uti animadvertit Benedictus XIV, L. 9 de Syn. Dioec. c. 15), nec licet regularibus, etiam in suis ecclesiis, Sanctissimum illud Sacramentum publice adorandum exponere nisi ex causa publica, quae sit ab Ordinario probata ; indulgemus ut semel in die Dominica et festo de praecepto, post missam vel post vesperas, semel unaquaque die per octavam festi Corporis Christi, exponatur et Benedictio Solemnis detur. In festis solemnioribus licebit insuper ut Illud eodem modo exponatur ; sicut etiam bis in qualibet hebdomada Quadragesimae ; feriis scilicet quarta et sexta ; bis in qualibet hebdomada mensis Maii ; semel unaquaque feria sexta mensis Junii ; semel prima feria sexta omnis mensis ; quotidie in missionibus vel exercitiis spiritualibus ; et in triduanis et novendialibus precibus ante festa Pentecosten, Immaculate Conceptionis Beatae Virginis Mariae, Sancti Josephi, Sanctissimi Cordis Domini Nostri Jesu Christi, et Patroni ecclesiae, ubi hae functiones peraguntur. Illud autem haud exponendum dum missa celebratur vel vesperae cantantur censemus nisi in ipso festo Corporis Christi, vel per octavam, vel in Quadraginta Horarum Adoratione. Monemus, praeterea, eam expositionem ita faciendam ut etiam ritu externo tanto Sacramento concilietur reverentia ; propterea et luminarium numerus, et thurificatio, et pluvialis, cum stola et superpelliceo indumentum non sunt negligenda.

6. Devotionem quae Quadraginta Horarum vocatur in omnibus ecclesiis hujus Dioeceseos servandam esse cupimus. Hac occasione fideles ad debitam erga S. S. Sacramentum venerationem sunt excitandi. Aliorum Sacerdotum opera in-

vocata, ut omnes tunc ad peccata sua confitenda, atque sacram synaxim percipiendam adducantur, hortamur. Prae oculis semper habeant rectores Instructiones Sedis Apostolicae circa hanc devotionem esse summa cura observandas.

7. Decretis Conc. Balt. et Summi Pontificis Pii X. Encycl. "Proprio Motu" Nov. 22, 1903, inhaerentes, abusus in musica sacra et in choris laicorum omnino tollendos esse mandamus. Missa, Vesperae et omnia coetera sacra officia integre juxta mentem Ecclesiae, ordinem Missalis et Breviarii Romani et Catalogum Musicae Ecclesiasticae pro Dioecesi Pittsburgensi peragantur.

8. Curent etiam rectores ne alii praeter Catholicos, eosque probos, in choro canant aut organum pulsent, eo enim modo optime abusus eliminetur et divinae laudes debito honore persolvantur.

9. Invigilent rectores ne in conventionibus cantorum ad concentus praeparandos abusus irrepant; vel si irrepserint, eliminentur, cum maxime dedeceat ut ipsius cultus divini celebratio in peccati occasionem convertatur, et in hoc graviter sacerdotum conscientias oneramus.

10. Benedictio mulieris post partum in ecclesia semper impertiatur, nisi mortis periculum vel grave incommodum illam domi dari requirat.[1]

11. Prohibemus processiones religiosas fieri per vias sine speciali Nostra licentia prius in scriptis habita. Prohibemus pariter milites advocari ut religiosis celebrationibus pompa addatur; tormentorum quoque bellicorum explosionem in his prohibemus. Non intendimus autem prohibere societates vel milites qui devotioni suae satisfacere volentes ad ecclesiam processionaliter ire volunt, etiam vestibus vel insignibus propriis ornatos accedere, nec ut societates religiosae pro celebrationibus civilibus, cum ipsis visum fuerit publice appareant, sed vexilla vel alia signa religiosa tunc absque permissione Nostra adhiberi prohibemus. (Vide num. 11, Cap. II.)

[1] Tantummodo illae mulieres jus ad illam benedictionem habent, quae ex legitimo matrimonio pepererunt. S. C. C. 18 Jun. 1859.

12. Ut pia fidelium devotio in sublevationem animarum in Purgatorio detentarum foveatur, privilegium missas *de Requiem* quocúmque festo duplici minori canendi a Sancta Sede obtinuit illudque in Synodo IV. annunciavit felicis memoriae Michael O'Connor, primus Pittsburgensis Episcopus. Optata ejus explere desiderantes, pluries per annum et praesertim in Anniversario Omnium Fidelium Defunctorum, pietatem populi hac in re excitari commendamus.

13. Omnia vasa sacra, quae SS. Eucharistiae inserviunt, aurea vel argentea inaurata esse, et saltem bis in anno, intus et foris, mundari debent.

14. Quotannis dedicatio totius dioeceseos ad SS. Cor Jesu modo solemniori iteretur in die octava mensis Decembris. (Vide actum consecrationis in Appendice.)

CAP. VII.

DE SEPULTURA.

1. Ritus funebres Latino idiomate juxta Concilii Baltimorensis I. decretum vigesimum peragi districte praecipimus. Volumus autem ut antiquissimum institutum quod missa praesente corpore defuncti pro eo celebretur antequam sepulturae tradatur, ab omnibus foveatur. 394 Conc. Balt. Pl. II.

2. Canones jubent fidelium corpora in locis sacratis reponenda; quapropter si contigerit, ea mandari sepulturae in coemeterio sectarum vel alias extra coemeteria Catholica, iis in locis ubi habentur, prohibemus ne ritus funebres peragantur sive publice, sive privatim; exceptis casibus in quibus legis rigorem mitigaverunt Concilii Plenarii III, decreta 317—318.

3. Non licet dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (secus tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint poenitentiae. Praeterea quando certo constat vel de iracundia vel desperatione negari debet ecclesiastica sepultura et vitari debent solemnitates exequiarum, quando autem certo constat

de insania, datur ecclesiastica sepultura, tandem si dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum. (S. C. S. O., 16 Maii, 1866.)

4. Florum usum ad ornatum feretri in exequiis adultorum tanquam a mente ecclesiae alienum et spiritum hujus saeculi sapientem improbamus, et volumus, ut posthac feretrum in ecclesiae ingressu panno funebri cooperiatur.

5. Ritus funebres in ecclesia parochiali defuncti peragendos esse decernimus, nisi ejusdem ecclesiae rector licentiam alibi faciendi funus, in scriptis, concesserit. Qui sine consensu, vel pastoris proprii aut venia Episcopi vel Vicarii Generalis, exequias super corpus ex aliena parochia elatum celebraverit, honorarium occasione funeris acceptum eidem pastori reddere tenebitur totum.

6. Meminerint rectores ecclesiarum sibi "veram incumbere obligationem de coemeteriis Catholicis rite et decenter custodiendis, ne ex eorum conditione sordida aut neglecta fideles justam conquerendi causam habeant, et suorum corpora in eis tumulare aversentur," uti monuit decretum 319 Concilii Plenarii Baltimorensis Tertii.

CAP. VIII.

DE VERBI DIVINI PRAEDICATIONE.

1. Ne nostris diebus periculorum plenis fideles ex ignorantia fidei aeternae perditionis discrimini objiciantur praecipimus ut diebus dominicis et festis solemnibus, etiam aestivo tempore, omnes, qui curam habent animarum per se aut, si legitime impediti fuerint per alios idoneos inter celebrationem omnium omnino missarum quibus adstant fideles, sive illae missae sint cantatae sive privatae, vel etiam valde mane celebrentur, Evangelium diei occurrentis lingua vernacula distincte legant, atque si tempus patiatur, per duodecimam horae partem, populum in lege Domini erudiant. Sermo vero proprie dictus in ultima missa habeatur.

2. Maxime Sacerdotibus Nostris commendamus ut aliquando praecipuas totius doctrinae christianae partes continua fere serie sermonum exponant. Omnes sese diligenter pro singulis concionibus praeparent; juniores autem monitos habere volumus ut conciones integras scribent etiamsi ad verbum eas memoriae non mandent.

3. Ad multa evitanda mala statuimus ut sacerdotes in verbi divini praedicatione non utantur verbis acribus et injuriosis, et praecipue caveant ne in vitiis denuntiandis personae nominentur aliterve designentur; si vero aliquando contigit quod sint vel querelae, vel dissentiones, vel inimicitiae sacerdotes inter ac quosdam ex fidelibus, sacerdotes omnino prohibemus quominus occasionem praedicationis verbi Dei accipiant ad loquendum in suam justificationem vel in condemnationem aliorum. Attamen si gloria Dei vel honor sacerdotalis vel bonum ecclesiae exigat ut sacerdos se justificet coram populo, locum alium aliudque tempus ad hoc eligat.[1]

DE CATHEDRATICO.

Cum in hac regione mensa episcopalis nulla vel vix ulla sit, unde possit episcopus vitam honeste sustentare, Dioecesis cui invigilat temporalia ad hoc necessaria subministrare debet, quod et Sanctae Sedis declaratione firmatum est. Ad hanc obligationem juste inter ecclesias distribuendam quo facilius ei satisfaciant, statutis temporis intervallis sacerdotes eligi curabimus, quorum erit statum fiscalem omnium ecclesiarum discere et pro rata unicuique hoc onus assignare. Noverint insuper rectores, hanc veram esse obligationem ad quam implendam ad tempus stricte tenentur.

[1] "Vetamus ne sacerdotes inter concionandum vel occasione concionis, vel quovis alio praetextu e suggestu vel altaris loco, de suis redditibus, honorariis, stipendiis, collectis Dominicis aliisve hujusmodi ad populum saepe saepius verba faciant." Con. Pl. II., 158.

"Statutum est, ne laicis personis unquam permittatur verba ad populum facere in ecclesiis, sine Ordinarii licentia, postquam consecratae, vel tantum benedictae fuerunt." Con. Pl. I., 194.

Eodem quoque modo in Seminarii et infirmorum sacerdotum sustentatione onus distribuemus. Hac enim ratione aerarium dioecesanum constituemus ad varia onera dioecesana sublevanda.

Quum, insuper, hactenus non est unde sumptus Dioecesam tollantur necessarium erit huic in posterum rei nummariae difficultati providere. Aliquando ergo ,sacerdotes certiores faciemus de pecuniae summa quam necessariam esse inveniemus ut eodem ac supra memorato modo Nos hac difficultate nummaria eruant.

Pecunia a qualibet ecclesia pro Cathedratico, Seminario et aerario dioecesano quotannis solvenda, sub poena ipso facto suspensionis ante diem primum Octobris Cancellario mittenda est.

APOSTOLATUS MISSIONARIUS.

Constituimus insuper quosdam hujus ditionis sacerdotes Commissionem et Apostolatum pro Missionibus et pro acatholicis et pro colonis et advenis in hac dioecesi degentibus. Eorum erit vias et media exquirere ut meliori modo praesertim advenarum ex quacumque natione in hanc dioecesim confluentium saluti aeternae ac bono spirituali provideatur.

CAP. IX.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

Cum, experimento in hac Dioecesi facto, Collationes de casibus conscientiae et ecclesiastica scientia maximo cum fructu nec ullo gravi incommodo haberi posse constiterit, statuimus illas in posterum quoque habendas, illisque intervenire praecipimus omnes sacerdotes saeculares, et regulares curam animarum exercentes in hac Dioecesi, qui legitimo impedimento a Nobis probando excusati non fuerint. Quaestionibus designatis omnes parati sint respondere, necnon scriptas casuum moralium solutiones legere, si fore requisiti fuerint.

MUSICA SACRA.

Mandatis Sanctae Sedis inhaerentes et cupientes ut omnis musica quae a dignitate ritus ecclesiastici aliena est et elevationi cordium ad superna impedimentum praebet, ab ecclesiis hujus dioeceseos arceatur, quosdam Sacerdotes commissionem pro Musica sacra constituimus, quorum erit sedulo invigilare ad eliminandos abusus qui in musica aut cantu in ecclesiis irrepere possint et musicam seligere vel in cantu Gregoriano et Caeciliano vel in cantu figurato quae sit gravis, pia et ecclesiastica.

DE SEMINARISTIS.

Maximi momenti est juvenes numerosos educare et instituere in disciplinis Ecclesiasticis ad subveniendas necessitates fidelium — in dies semper crescentes — in hac Nostra ampla Dioecesi.

Quapropter parochos ceterosque sacerdotes hortamur in Domino et enixe rogamus, ut diligenter animum intendant ad inquirendos dignoscendosque inter pueros, sub eorum cura constitutos, qui ad clericalem statum idonei et vocati videantur, ut illorum vocationem foveant, eosque ad doctrinam et pietatem informent, atque ad ingrediendum statum clericalem praeparent.

Quum clerici et sacerdotes morati sint maximum donum Dei, imprimis enixe rogandus est ipse Deus, qui est Dominus messis, ut operarios idoneos et fideles mittat in messem suam.

APPENDIX.

Officiales Dioecesani.

Vicarii Generales: Rev'mus F. L. Tobin, Praelatus Domesticus.
" Jos. Sühr, " "
(*in Curia*) " Wm. Kittell, " "
Cancellarius: " " " " "

Pro Curia ad caussas disciplinares et criminales clericorum:

1. *Judex:*
2. *Procurator Fiscalis:* Rev'dus E. M. McKeever.
3. *Actuarius:* Rev'dus W. McMullen.
4. *Actuarius Assistens:* Rev'dus J. Greaney.

Pro Curia ad caussas matrimoniales:

1. *Judex:* Rev'mus F. L. Tobin, V. G., Praelatus Domesticus.
2. *Defensor Vinculi:* Rev'dus D. Malady.
3. *Actuarius:* Rev'dus W. McMullen.
4. *Actuarius Assistens:* Rev'dus J. Greaney.

Consultores:

Rev'mus Wm. Kittell, Rev'dus Martinus Ryan, Rev'dus F. Keane, Rev'dus H. J. Goebel, Rev'dus C. A. McDermott, Rev'dus J. Gorzynski.

Decani Rurales:

Rev'dus C. A. McDermott pro integris Comitatibus dictis Washington et Greene: atque pro Comitatu Alleghenensi a parte occidentali fluminis Ohioensis et Monongahelensis.

Rev'dus J. Romelfanger pro integris Comitatibus dictis Armstrong, Beaver, Butler, Indiana et Lawrence: atque pro Comitatu Alleghenensi a parte septentrionali fluminis Alleghenensis.

Rev'dus M. A. Lambing pro integris Comitatibus dictis Fayette et Westmoreland: atque pro Comitatu Alleghenensi a parte meridionali fluminis Alleghenensis et orientali fluminis Monongahelensis.

Censor Librorum:

Rev'dus A. A. Lambing, LL. D.

Commissio pro oneribus Dioecesanis juste distribuendis:

Rev'mus Jos. Sühr, Praeses; Rev'dus M. Ryan; Rev'dus F. Keane; Rev'dus C. A. McDermott; Rev'dus H. J. Goebel; Rev'dus C. Gasparik; Adm. Rev'dus Joseph Antonius, O. M. Cap.

Examinatores Synodales:

Rev'mus Joseph Sühr; Rev'dus P. May; Rev'dus E. M. McKeever; Rev'dus F. Keane, Rev'dus J. Romelfanger; Rev'dus M. Lambing; Rev'dus H. J. Goebel; Rev'dus W. Cunningham; Rev'dus Dom. Julianus, O. S. B.

Examinatores Magistrorum et Magistrarum:

Rev'dus M. A. Lambing; Rev'dus H. J. Goebel; Rev'dus S. Schramm; Rev'dus D. Malady; Rev'dus C. Hegerich; Rev'dus M. Lynch; Rev'dus J. S. Gorzynski.

Commissio Scholarum:

Rev'dus A. A. Lambing; Rev'dus P. May; Rev'dus H. Goebel; Rev'dus E. M. McKeever; Rev'dus Thos. Devlin; Rev'dus S. Schramm; Rev'dus W. Graham; Rev'dus M. A. Lambing; Rev'dus Chas. Coyne; Rev'dus D. J. Malady; Rev'dus J. Romelfanger; Rev'dus C. Hegerich; Rev'dus J. Price; Rev'dus L. Woelfel; Rev'dus M. Lynch; Rev'dus Thos. Rosensteel; Rev'dus J. Gorzynski; Rev'dus P. Quilter; Rev'dus A. Kacinczy; Adm. Rev'dus Emer. Singer, O. S. B.; Adm. Rev'dus A. Bruder, O. C. C.; Adm. Rev'dus M. Hehir, C. S. Sp.; Rev'dus P. S. Stutz, C. P.

Commissio pro Missionibus Dioecesanis:

Rev'mus W. Kittel; Rev'dus H. Goebel; Rev'dus Thos. Devlin.

Commissio pro aedificiis eccl. erigendis:

Rev'mus Jos. Sühr; Rev'mus W. Kittel; Rev'dus D. J. Malady; Rev'dus C. Gasparick; Rev'dus A. Tonner.

Building Committee :

Pastors (or Superiors of religious institutions) contemplating the purchase of property, or the erection of a building, for religious purposes, must submit to the Building Committee definite information regarding the same, namely:

1. The location of the property, its dimensions, cost and purpose to which it is destined.

2. Plans and specifications of the building to be erected and its estimated cost.

3. Debt of the parish (or institution), cash on hand, ordinary and extraordinary income, amount of loan desired and number of families in the parish.

A printed form, to be filled out by applicants, supplying details above mentioned, will be furnished by the Chancellor, to whom all applications, plans and specifications should be sent.

The Committee meets the third Tuesday of each month ad 3 P. M.

Commissio pro Musica Sacra:

Rev'dus E. M. McKeever, Praeses; Rev'dus S. Schramm; Rev'dus J. F. Gallagher; Rev'dus C. Tomaczewski, C. S. Spr.; Rev'dus J. O'Connell; Rev'dus Dom. L. Haas, O. S. B.; Rev'dus Paulus Werr, O. M. Cap.; Rev'dus J. Wernert, C. SS. R.; Rev'dus W. Dunlea; Rev'dus R. Hamilton; Rev'dus J. Griffin, C. S. Sp.; Rev'dus P. Isidore, O. C. C.; Rev'dus Jacobus Wertz, Secretarius.

Rectores Inamovibiles:

Rev'mus F. L. Tobin, P. R. Ecclesiae ad S. Mariam, Pittsburg.
" Joseph Sühr, P. R. Ecclesiae ad SS. Petrum et Paulum, Pittsburg.
Rev'dus J. B. Duffner, P. R. Ecclesiae ad SS. Nomen Jesu, Allegheny.
" H. McHugh, P. R. Ecclesiae ad S. Agnetem, Pittsburg.

Rev'dus P. Kaufmann, P. R. Ecclesiae ad S. Josephum, Allegheny.

" J. F. Gallagher, P. R. Ecclesiae ad S. Mariam, New Castle.

" D. J. Devlin, P. R. Ecclesiae ad S. Stephanum, Pittsburg.

" Martin Ryan, P. R. Ecclesiae ad S. Birgittam, Pittsburg.

" P. J. Quilter, P. R. Ecclesiae ad S. Andream, Allegheny.

" Philip Brady, P. R. Ecclesiae ad S. Joannem Evang., Pittsburg.

" Franciscus Keane, P. R. Ecclesiae ad SS. Cor Jesu, Pittsburg.

" J. Romelfanger, P. R. Ecclesiae ad S. Petrum, Butler.

" H. J. Goebel, P. R. Ecclesiae ad S. Josephum, Mt. Oliver.

" M. A. Lambing, P. R. Ecclesiae ad S. Joannem, Scottdale.

" C. A. McDermott, P. R. Ecclesiae ad S. Petrum, McKeesport.

" J. J. Bullion, P. R. Ecclesiae ad S. Mariam Magd., Homestead.

" J. W. O'Connell, P. R. Ecclesiae ad S. Petrum, Allegheny.

" Wm. Cunningham, P. R. Ecclesiae ad S. Colmanum, Turtle Creek.

" J. F. Bauer, P. R. Ecclesiae ad S. Josephum, Pittsburg.

" L. M. A. Miskiewiecz, P. R. Ecclesiae ad S. Adalbertum, Pittsburg.

" F. X. Kettl, P. R. Ecclesiae ad S. Petrum, Pittsburg.

" J. Faughnan, P. R. Ecclesiae ad Immac. Concept., Washington.

DECISIONES ET DECLARATIONES SELECTAE.

Ut Sacerdotes Nostrae Dioeceseos evitent defectus in sacris muneribus exercendis, bene placuit aliquas hic addere decisiones et declarationes e S. Congregatione Rituum et aliunde emanatas.

I. *Circa Baptismum.*

Infantes sive domi a laicis, sive ab haereticis baptizati, non sunt iterum baptizandi si non adsit probabile dubium invaliditatis Baptismi. (S. C. C. 27 Mart. 1683. S. C. Ind. 17 Nov. 1830 et 20 Jul. 1840.)

Interrogationes quae in ordine Baptismi occurrunt, ac pro quibus formulae extant in Rituali, latine omnino fieri debent. (S. R. C. 12 Sept. 1857), postea in lingua vernacula fieri possunt.

Sine rationabili causa ab Ordinario approbanda non licet Baptismum solemniter conferre in sacristia. (S. R. C. 16 Mart. 1861.)

II. *Circa SS. Eucharistiam.*

Ad nutriendam Lampadem ante SS. Eucharistiae Sacramentum generatim utendum est oleo olivarum ; ubi vero haberi nequeat remittendum prudentiae Episcoporum ut Lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetalibus. (S. R. C. 9 Jul. 1864.)

SS. Eucharistia servanda est in uno tantum Altari ejusdem Ecclesiae. (S. R. C. 21 Jul. 1696.)

Non licet superimponere Reliquias, Imagines, flores Tabernaculo in quo SS. Sacramentum asservatur ita ut Tabernaculum pro basi inserviat. (S. R. C. 3. Apr. 1821.)

Tabernaculum ita obtegendum est ut Vas in quo SS. Sacr. asservatur a circumstantibus nullo modo videri possit. (S. R. C. 13 Sept. 1806.)

Tabernaculum regulariter debet esse ligneum extra deauratum intus vero aliquo panno serico decenter contectum. (S. C. Episc. 26 Oct. 1575.)

Stola pro ministranda SS. Eucharistia extra Missam debet esse coloris officio convenientis. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

Quotiescumque S. Communio extra Missam administratur, bursa cum corporali est adhibenda, et quidem de praecepto stricto. (S. R. C. 27 Feb. 1847.)

Rector Ecclesiae ruralis, ubi SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, tenetur ad residentiam et ad quotidianam Misssae sive per se, sive per alium, celebrationem. (16 Mart. 1833.)

Per Communionem Paschalem, lucrifieri non potest Indulgentia in forma Jubilaei concessa. (19 Maii, 1841.)

SS. Sacramentum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pixide aurea vel argentea intus deaurata. (S. C. Episc. 26 Jul. 1588.)

In tabernaculo SS. Sacramenti esse non debent vasa sacrorum Oleorum, vel Reliquiae, vel aliud quodcumque praeter vasa ad continendum SS. Sacramentum. (S. C. Episc., 3. Maii, 1693.)

Renovatio SS. Sacramenti debet fieri qualibet Dominica, non autem differri ad quindecim dies. (S. C. C. 5 Apr. 1577.)

In Expositione SS. Sacramenti in altari super candelabris viginti, vel ad minus duodecim candelae cereae accensae retineantur. (S. R. C. 15 Mart. 1698.)

Non licet concionem habere capite tecto dum SS. Sacramentum expositum est, quamvis velo serico obductum sit. (S. R. C. 23 Sept. 1837.)

Non licet lumen aliquod à parte postica sphaerae seu ostensorii collocare ut lucida appareat SS Hostia. (S. R. C. 31 Mart. 1821.)

Non licet Regularibus in eorum ecclesiis aut capellano Monialium, Venerabile Sacramentum publice adorandum exponere absque licentia Episcopi. (S. R. C. 1 Apr. 1662; 18 Dec. 1657 et 7 Jun. 1681.)

Oratio ante Benedictionem SSmi. "Deus qui nobis" concluditur "Qui vivis et regnas in saecula saeculorum." (S. R. C. 14 Jun. 1647 et 10 Sept. 1718.)

In benedicendo populum cum Sanctissimo Celebrans nihil

dicere, cantores et musici nihil quoque canere interim debent. (S. R. C. 19 Febr. 1762.)

Sacerdos in benedicendo populum cum Sacra Pixide, debet illam totam cooperire extremitatibus veli humeralis. (S. R. C. 23 Feb. 1839.)

Non praescribitur ut Caeremoniarius vel Thuriferarius incenset SS. Sacr. dum populo Benedictio impertitur. (S. R. C. 11 Sept. 1847.)

III. *Circa Sacrificium Missae.*

Indumenta sacra et supellectilia sacerdotis et Altaris — uti amictus, albae, tobaleae, mappulae, corporalia, pallae ac purificatoria — ob reales et mysticas significationes, conficienda sunt ex lino aut cannabe, at numquam ex alia quacumque materia.

Paramenta confecta ex serico, et variis coloribus, floribusque intertexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari non valent mixtim pro albo, rubro, viridi, etc. (S. R. C. 23 Sept. 1837.)

Permitti potest uti Palla a parte superiori panno serico cooperta et auro contexta, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa. (S. R. C. Jan. 1852.)

Purificatorium, velum et bursa non sunt necessario benedicenda. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Tolerari non potest ut tempore Missae et Officiorum Crux altaris aut candelabra drappo vel tela permaneant vestita. (S. R. C. 12 Sept. 1857.)

Quoad Missas parochiales vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis aut cantatae occasione realis atque usitatae celebritatis, tolerari potest ut duo ministri Missae inserviant. Quoad vero Missas stricte privatas serventur decreta. (S. R. C. 12 Sept. 1857.)

Tolerari potest consuetudo qua sacra paramenta coloris aurei (gold cloth) loco coloris albi, viridis aut rubri inserviantur. (S. R. C. 28 Apr. 1866.)

Si statim post Missam vel post Vesperas Benedictio habe-

tur cum SS. Sacr. paramentis ejusdem coloris utendum est ut in Missa vel Vesperis; sin vero Benedictio fit separata et distincta a Missa vel Officio, semper adhibenda sunt paramenta albi coloris. (S. R. C. 20 Sept. 1806.)

Sacerdos celebrans Missam in qua Chorus tenetur cantare *Credo*, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro idem symbolum cantatur. (S. R. C. 17 Dec. 1695.)

In Missa quae cantatur sine diacono et subdiacono non licet thurificare Altare et Chorum. (S. R. C. 19 Aug. 1651.)

Non est permittendus usus ut praeter diaconum et subdiaconum simplices Sacerdotes adhibeant in Missa solemni presbyterium assistentem. (S. R. C. 15 Mart. 1721.)

Celebraturus Missam solemnem aspergens populum Aqua benedicta associari debet a diacono et subdiacono et ministris altaris et recitare Ps. *Miserere*. (S. R. C. 31 Jul. 1665).

In Feria V in Coena Domini in eadem Ecclesia praeter Missam Solemnem alias Missa privata non est celebranda nisi probante Episcopo. (S. R. C. 17 Mart. 1773.)

In Missa solemni thurificari debent Imagines seu signa Sanctorum depositae inter candelabra, etiamsi inclusas non habeant Sanctorum Reliquias. (S. R. C. 21 Mart. 1744.

Sacerdos in Missa de Requie ponere debet manum sinistram super Altari dum facit signum crucis ad Introitum. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Sacerdos celebrans, dum ad Evangelium cruce signat librum, ponere debet super eo sinistram. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Sacerdos pronuntians in Canone Missae nomen alicujus Sancti, de quo factum est officium vel saltem commemoratio, facere debet inclinationem. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

In Missa solemni sacerdos non debet dicere *Ite missa est*, quod dicitur tantum a diacono; sed debet dicere *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, quamvis eadem cantentur a Diacono. (S. R. C. 7 Sept. 1816.)

Non licet cantare, inter Missarum solemnia, cantica vulgari sermone. (S. R. C. 12 Mart. 1839.)

In iis Ecclesiis, in quibus ob defectum sacerdotum in hebdomada majori Celebrans decantare cogitur partem passio-

nis, illam decantare debet in cornu Evangelii. (S. R. C. 12 Mart. 1836.)

Post Missam de Requie in die obitus, nequit sacerdos a celebrante diversus accedere ad absolutionem peragendam, quoniam hoc jure gaudet Episcopus tantum. (12 Aug. 1854.)

Qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debet uti paramentis nigris diebus non impeditis ut privilegii indulgentiam consequatur. (S. R. C. 11 Apr. 1840.)

Calix et Patena suam amittunt consecrationem per novam deaurationem. (S. R. C. 14 Jun. 1845.)

Sacerdos qui die Natali Domini unam Missam tantum celebrat, legat Missam quae respondeat circiter horam juxta Rubricas peculiares ejusdem diei. (S. R. C. 19 Jun. 1875.)

Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis consecratae, sub ritu duplici I classis cum octava in civitate Episcopali, extra civitatem Episcopalem, sine octava recitandum est. Regulares extra civitatem ad hoc non tenentur, sed in civitate tenentur illud recitare sub ritu dup. II classis sine octava.

Festum, seu Officium, Titulare Ecclesiae Cathedralis celebrandum est in tota Dioecesi sub ritu duplici I classis cum octava a Clero dioecesano; a Clero Regulari autem sub eodem ritu absque octava. (S. R. C. die 18 Maji 1883.)

IV. *Circa Vesperas.*

Officians ad Vesperas non utitur stola. (S. R. C. 7 Sept. 1816 et 11 Sept. 1847.)

Officians in Vesperis solemnibus indui debet Pluviali a principio Vesperarum et sic indutus permanere usque ad finem. (S. R. C. 20 Juli 1693.)

V. *Circa assistentiam erga moribundos.*

Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria juxta Constitutionem Benedicti XIV. *Pia Mater.* (5. Apr. 1774.) impertiri potest pueris qui ob defectum aetatis primam Communionem nondum susceperunt. (S. R. C. 16. Dec. 1826.)

Etiam in casu necessitatis non licet nec valide administrari potest Extrema Unctio cum oleo a Sacerdote benedicto. (S. C. S. O. 13 Jan. 1611.)

Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Jesu est conditio sine qua non ad lucrandam indulgentiam plenariam vi Benedictionis Apostolicae. (S. R. C. 22 Sept. 1892.)

Excepto casu magnae distantiae ab ecclesia non licet sacerdoti curam animarum exercenti S. Oleum Infirmorum in domo sua retinere; necessitate vero exigente etiam tunc servetur Rubrica quoad honestatem, decentem tutamque custodiam. (S. R. C. 16 Dec. 1826.)

Ter recitandum est "Confiteor" ratione administrationis S. Viatici, Extremae Unctionis atque Indulgentiae moribundis impertiendae — Ista porro Indulgentiae invalide confertur si omittatur formula a Pontifice praescripta. (5. Febr. 1841.)

VI. *Circa Matrimonium.*

Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma: Ego vos, etc., nihil obstat, quominus benedictiones annulorum, et reliquae fiant in communi per verba generalia. (S. C. Inq. 1 Sept. 1841.)

Parochus assistens matrimonio mixto licito, non modo benedicere solemniter nequit, sed etiam (sine stola et cotta) abstineat a benedictione annuli, et a dicenda forma: Ego vos conjungo, etc. (S. C. Inq. 28. Aug. 1839.)

Tempore vetito prohibetur *tantum* benedictio quae est in Missali non vero ea quae in Rituali prostat. S. C. de Prop. Fide, 5 Juli 1841.)

Benedictio nuptialis non potest fieri nisi in ecclesia. (S. C. C. 17 Apr. 1649.)

In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei Inquisitoribus Generalibus, praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. decreverunt.

"Benedictionem nuptialem, quam exhibit missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse matrimoniis Catholicorum, infra tamen Missae celebrationem juxta rubricas et extra tempus feriatum, omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa

non obtinuerint; — etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit.

"Insuper hortandos esse eosdem conjuges Catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerint, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab heresi valide contraxerint, benedictionem istam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii.

"Contrariis quibuscumque non obstantibus."

Denuntiationes matrimoniales possunt fieri tempore clauso (18 Dec. 1589), et, ex justa causa, etiam diebus festivis dum cantantur Vesperae. (S. C. C. 25 Oct. 1586.)

Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum ecclesia reconcilientur: at si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus, et praesertim a S. Alphonso (lib. vi., tr. I., cap. ii., n. 54) traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione. (S. Poenitentiaria, 10 Dec. 1860.)

RESPONSUM SANCTI OFFICII DE COPULA INCESTUOSA.

S. C. Officii, die 25 Junii 1885, statuit et declaravit dispensationes matrimoniales posthac concedendas, etiamsi copula incestuosa vel consilium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstantibus.

De Matrimonio non praesumendo.

"Per has litteras Nostras decernimus ac mandamus ut deinceps, illis in locis in quibus conjugia clandestina pro vali-

dis habentur, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur."

Datum Romae etc. die 15 Feb. 1892.

LEO. PP. XIII.

INSTRUCTIONES DE DISPENSATIONIBUS ET DE FACULTATE DISPENSANDI SUPER IMPEDIMENTIS MATRIMONIALIBUS.

BEATISSIME PATER:

Vic. Gen. Sti. Ludovici ante pedes S. V. provolutus solutionem sequentium dubiorum petit.

1. An in multiplici consanguinitate seu cum consanguineis, qui ex multiplici stipite invicem conjuncti sunt, Ordinarius dispensare possit juxta facultates a Sancta Sede impetratas tenoris sequentis. Dispensandi in 3. et 4. consanguinitatis et affinitatis gradu simplici, et mixto tantum, et in 2., 3. et 4 mixtis, non tamen in 2. solo, quoad futura matrimonia atque: Dispensandi in utroque foro cum catholicis ejus jurisdictioni subjectis in matrimoniis sive contractis sive contrahendis super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali centum casibus.

2. An in multiplici affinitate dispensare possit.

3. An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario hujus regionis juxta consuetas facultates Apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit informis, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus ad quod expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis vel oretenus tantum concessa sit.

Dubium hoc oritur ex omissione clausulae: *alias nullae sunt*, in facultatibus Ordinariis Americae nunc concessis; quae clausula olim in hujusmodi facultatibus expresse apposita fuerat.

Feria iii, loco iv., die 15 Junii, 1875.

In congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emm. ac Revm. DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis supradictis dubiis, et praehabito Voto DD. Consultorum: Iidem Emm. Revdm. DD. responderunt—Ad Primum et Secundum: affirmative, scilicet declararunt—Episcopos qui facultate gaudent quinquennali dispensandi in 3. et 4. consanguinitatis et affinitatis in gradu simplici, et mixto tantum; et in 2., 3. et 4, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia: posse dispensare in 3. et 3, in 4 et 4 in 3. mixto cum 4; nec non in 3. et 4. cum 2 mixtis sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipite, facto verbo cum Sanctissimo.

Ad Tertium—Affirmative; dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta in potestate raptoris non existat. *Clausulas vero servandas ad amussim esse;* quantum tamen rerum, temporum, locorumque adjuncta ferre possunt.

Eadem die ac feria.

Sanctissimus D. M. D. Pius Divina Providentia PP. IX. in audientia R. DD. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione ut supra, declarationem ab Emm. ac Revm. DD. Cardinalibus factam confirmavit. G. PELAMI,

S. Rom. et Univers. Inquisit. Notar.

DE POSTULATIONE DISPENSATIONUM.

ART. I.—PRO IMPEDIMENTIS PUBLICIS.

1. Parochi, in sua propria parochia, a Nobis delegantur ut ex officio auctoritateque Apostolica subdelegata praeviam inquisitionem instituant circa impedimentum juxta ordinem infrascriptam.

2. Facta quae per inquisitionem manifestantur, Nobis referantur in scripta postulatione pro dispensatione, pro qua ipse solus parochus regulariter supplicabit.

3. Attamen, quando parochus ultra unam diem a propria residentia contigerit, vices ipsius gerat vicarius.

ORDO INQUISITIONIS FACIENDAE CIRCA IMPEDIMENTA PUBLICA.

Parochus, vel sacerdos delegatus, *nisi aliunde de eis certo constat*, utramque partem separatim et duos saltem testes interroget circa sequentia Nobis in postulatione referenda.

1. Nomen, cognomen et aetatem oratorum.

2. Naturam impedimenti et ejus originem, i. e. speciem infimam, gradum et lineam consanguinitatis et affinitatis, etc.

3. Numerum impedimentorum, e. gr. si adsit duplex vel multiplex consanguinitas vel affinitas, vel, si praeter cognationem, adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum.

4. Circumstantias, scilicet, si matrimonium jam invalide contractum sit, utrum bona aut mala fide, seu cum scientia impedimenti, saltem unius partis; an praemissis bannis; an peccatum patratum sit sub spe facilius dispensationem obtinendi.

5. Rationes canonicas, seu causas petendi dispensationem, et affirmationem de earum veritate.

6. Oratorum fortunam; an valde pauperes sint.

7. Promissionem factam a parte acatholica in matrimoniis mixtis (disp. cult. vel mix. relig.) de cautelis et conditionibus ab Ecclesia praescriptis observandis, prout in Statutis dioecesanis statuitur.

N. B.—Impedimenta, *sua natura publica*, sunt illa quae nulla infamia ingerunt, et plerumque haud aegre probantur, ex. gr. consanguinitas, affinitas ex copula licita. Ex adverso, ob infamiam quam secum trahunt et probationem plerumque difficilem, *natura sua occulta* dicuntur impedimenta criminis et affinitatis ex copula illicita.

De facto publica sunt impedimenta quae, licet forsan natura occulta sint, majori parti civitatis, parochiae vel communitatis innotuerunt, sive per evidentiam facti, sive per famam ex indiciis et praesumptionibus ortam, vel quae brevi evulganda praevidentur.

De facto vero occulta dicenda sunt impedimenta quae per duos testes probari nequeunt, vel quae merito sperantur non

esse divulganda licet paucis personis, puta ad summum septem vel octo innotuerint.

Impedimentum aliquando publicum, si per decennium latuerit, ut occultum admittitur.

FORMULAE AD POSTULANDAS DISPENSATIONES.

Parochi possint postulationes pro dispensationibus obtinendis juxta has sequentes, vel juxta alias ab Auctoribus probatis propositas, Formulas conficere.

Formula A.—In impedimento consanguinitatis vel affinitatis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Antonius Sulak, natus die 7 mensis Maji, 1880, et nunc habens domicilium in parochia ad S. Joannem, in loco dicto Braddock, Pa., et Anna Murray, nata die 8 mensis Julii, 1884, domiciliata in hac parochia Pittsburgensi ad S. Mariam, ambo fideles, matrimonium inire cupientes, humillime supplicant dispensationem super impedimento consanguinitatis (*vel affinitatis*) in tertio (*vel alio*) gradu, ex eo quod.. prout ex adnexo schemate patet.

Rationes sunt ....

....

....

Addantur quae specialiter notanda sunt.

Oratores divites (*vel valde pauperes*) sunt.

Summa qua par est devotione et reverentia permaneo

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Submissimus Servus

N. N., Rector.

N. B.—A tergo folii, seu infra textum supplicis libelli, describatur schema (arbor genealogica) consanguinitatis vel affinitatis.

Formula B.—De impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Bertha Susanna Shields, catholica, nata die 18 mensis Aprilis, 1881, domicilium habens in hac parochia ad S. Jaco-

bum, Homestead, Pa., humillime supplicat ut secum dispensetur super impedimento disparitatis cultus (*mixtae religionis*) quatenus matrimonium contrahere possit cum Henrico Clay Steele, infideli, (vel haeretico baptizato), nato die 9 mensis Septembris 1879, in loco dicto New York, nunc domiciliato in Altoona, Pa.

Rationes ....

....

....

Specialiter notanda ....

....

Illustrissimae Dominationis Vestrae
Submississimus Servus
N. N., Rector.

DE FULMINATIONE DISPENSATIONIS IN IMPEDIMENTIS PUBLICIS.

Cum a Nobis directe fulminetur dispensatio ab impedimentis publicis in foro gratioso, satis erit si parochus, recepto instrumento, tenorem illius Oratoribus notum faciat, inscribat in libro matrimoniorum ipsumque servet in archivio parochiali.

Art. II.—Dispensatio In Impedimentis Occultis.

Oratorum Confessarium ad praedictam inquisitionem faciendam delegamus, qui tam in inquisitione quam in postulatione dispensationis ordinem supra expositum, pagina 68, in quantum natura casus et tribunal poenitentiae admittent, sequi debet. Tota res in postulatione sub fictis nominibus exponenda est.

DE FULMINATIONE DISPENSATIONIS IN IMPEDIMENTIS OCCULTIS.

Episcopus non fulminat dispensationem in impedimentis occultis in foro gratioso, sed litteras commissorias confessario mittit, qui, in foro poenitentiae tantum, dispensationem applicabit secundum sequentem formulam, servatis omnibus clausulis in commissione praescriptis. Commissione autem impleta, stricte et statim litterae commissoriae deleantur.

DE DISPENSATIONIBUS VI SUBDELEGATIONIS COMMUNIS.

Omnes sacerdotes, quibus Episcopus subdelegat quasdam facultates dispensandi, (vide facultates N. 14, 15, 16, 17 in Elencho Facultatum Dioecesios), ordinem supradictum, pagina 68, in inquisitione adhibeant, et formula sequente in concessione, seu fulminatione dispensationis ab impedimentis occultis in foro poenitentiae, nullo instrumento scripto facto, utantur.

FORMULA FULMINATIONIS IN FORO INTERNO.

Praemissa confessione sacramentali et data absolutione, si concedenda sit, Confessarius addat:

Auctoritate Apostolica, vi Indulti Reverendissimo Episcopo Pittsburgensi a Sancta Sede concessi mihique ad hoc communicati, ego vos N. et N. (dummodo mulier rapta non fuerit, aut si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat) absolvo ab omnibus censuris et poenis canonicis ad effectum praesentium consequendum, atque dispenso super impedimento .... ita ut valide et legitime matrimonium contrahere, in eoque postmodum libere et licite remanere valeatis; eademque auctoritate prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam declaro. In nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus Sancti. Amen.

Notandum.—Cum juxta communiorem opinionem dispensatio in radice suum sortiatur effectum ipso actu et tempore fulminationis ab Episcopo, operae pretium est pro utilitate animarum et reverentia debita sacramento matrimonii ut sacerdotes curent partes dispensandas ad sacramentalem absolutionem, si ea dignae sint, praeparare eo tempore quo praevidetur Episcopus dispensationem concessurus.

RITUS SERVANDUS IN FORO EXTERNO IN ABSOLVENDIS EXCOMMUNICATIS.

Poenitens, reparatione de scandalo peracta, ante cancellos Altaris genibus flexis procumbit.

Sacerdos sedens dicit totum Psalmum *Miserere* cum Gloria Patri.

Deinde surgit et capite detecto dicit (mutatis mutandis) *Kyrie Eleison, Christe Eleison, Kyrie Eleison, Pater Noster.*

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Salvum fac servum tuum.

R. Deus meus, sperantem in te.

V. Nihil proficiat inimicus in eo.

R. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

V. Esto ei, Domine, turris fortitudinis.

R. A facie inimici.

V. Domine, exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est miserere semper et parcere: suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem excommunicationis sententia constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum Nostrum.

R. Amen.

Mox sedet sacerdos, et cooperto capite dicit: Dominus Noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate Ipsius, et auctoritate Reverendissimi Episcopi Pittsburgensis, mihi specialiter delegata, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam incurristi per matrimonium coram praecone acatholico contractum (vel attentatum); et restituo te communioni et unitati fidelium, et sanctis sacramentis Ecclesiae, in nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus Sancti.

REVERENDO CLERO DIŒCESEOS PITTSBURGHENSIS SALUTEM.—

Lugendum est plures huic Curiae propositas esse causas adeo informes ut ab ea tractari minime possint. Rescribenti moderatori — "Dignare, quaeso, petitionem hanc plenius instruere et in formam redigere meliorem; immo etiam argumenta quibus nititur clarius exhibere" — haud raro respon-

detur — "Quid mihi vis agendum?" — vel — "Quasnam postulas probationes?" Gravius esset onus modum causam instituendi unicuique explicare in scriptis. Porro judicem nec decet nec licet litem a se disceptandam prejudicare, indicando nempe quaenam ad alterutrius partis actionem stabiliendam requirantur argumenta.

Libellus accusatorius, uti appellatur petitio ad matrimonii nullitatem juridice declarandam, debet

1) Affirmare non solum matrimonium esse contractum, sed et tempus, locum ac personam coram qua partes conjunctae sunt.

2) Memorare impedimentum quod matrimonium dirimit; nec tantum nominare, sed et omnia necessaria explicare adjuncta.

3) Indicare argumenta quibus probanda est impedimenti existentia.

4) Nominare testes in processu citandos.

5) Postulare sententiam judicialem contra matrimonii validitatem.

6) Denique probare quod actor jus habet matrimonii accusandi.

Rejicienda sunt instrumenta sigillo publico haud munita nisi de eorum genuinitate aliunde constet.

Ubi possibile est, testes ipsi in curia sunt audiendi; vel, si procul habitent, per sacerdotem delegatum interrogandi; nam haud aeque valet eorum testimonium scriptum etiam jurejurando firmatum.

De expensis curialibus a jure canonico est consultum.

Posthac ante previam inquisitionem requiretur depositum quinque scutatorum ($5); et si decurrente processu augeatur sumptus, ante sententiam litem estimabit Curia.

REV'MUS F. L. TOBIN, V. G., Praelatus Domesticus,
Judex Delegatus Curiae Matrimonialis.
REV. D. J. MALADEY, Defensor Vinculi.
REV. GULIELMUS McMULLEN, Actuarius.
REV. J. GREANEY, Pro Actuario Substitutus.

Datum Pittsburghi, Ex Cancellaria Episcopali.

INSTRUCTIO S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

Cum dispensatio sit juris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua hujusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in hujusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas juxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere opportet

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adjunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa juvant, *arg. l. 5. C. de probat.* Hujusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas foeminae superadulta,* si scilicet 24um aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere, possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditio-

nis, qui neque consanguineus nequi affinis sit nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum jam exortae*, vel *earundem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis*, quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impedire non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *Praegnantia*, *ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, *c. 7 de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess. XXIV cap. V de Reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri possit iis Catholicis qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV 14 Aug. 1822 decrevit: "respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II commissis, prout in Domino expedire judicaverit." Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

14. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur,

probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes.[1]

Sed jam se convertit Instructio ad ea quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla officiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide, ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus Consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior sed etiam propinquior, uti et linea, ac sit recta et

[1] Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus — *Praxis dispensationum Apostolicarum* — Lib. VII et VIII; ac Vincentius De Justis — *De dispensationibus matrimonialibus* — Lib. III.

transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti. Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii, 1877.

De Ordinatis Titulo Missionis.

Ex decreto S. C. de Propaganda Fide, die 30. Nov. 1885, sacerdotes, ordinati titulo missionis cum juramento alicui Dioecesi inserviendi, in aliam Dioecesim ejusdem Provinciae transferri possunt, de consensu utriusque Ordinarii, quin necessarium sit ut novum juramentum emittant.

Formula Juramenti ab iis praestandi, qui titulo Missionis ordinantur.

"Ego N. filius N. Dioecesis vel Vicariatus N. spondeo et juro, quod, postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia aut S. Congregationis de Prop. Fide ingrediar neque in earum aliqua professionem emittam."

"Voveo pariter et juro, quod in hac Dioecesi aut Vicariatu, (vel in Missione, cui S. Sedi vel S. Congregationi de P. F. me destinare placuerit), perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam sub omnimoda directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii pro salute animarum impendam, quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis Ap. licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem

regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero."

"Item voveo et juro, me praedictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum."

"Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia."

(*For the Eighth Day of December.*)

ACT OF CONSECRATION TO THE SACRED HEART OF JESUS.

[Approved by Decree of the Sacred Congregation of Rites, April 22, 1875.]

O Jesus! My Redeemer and my God! Notwithstanding the great love Thou hast for men, for whose redemption Thou hast poured out all Thy precious blood, Thou art but little loved by them; Thou art even grievously offended and outraged by them, especially by blasphemy and the profanation of holy feasts! Ah! would that I could make to Thy Divine Heart some satisfaction, would that I could repair that great ingratitude and want of thankfulness which Thou receivest from the great majority of these same men! Oh, that I could show Thee how much I desire to make a return of love to that adorable and most loving Heart, and to honor It in the sight of all men, and also to increase Thy glory more and more! Oh, that I could obtain from It the conversion of sinners, and arouse from their indifference so many others who, though they have the happiness to belong to Thy Church, have not at heart the interests of Thy glory and of the Church, Thy Spouse! Oh, that I could obtain from It that those Catholics, who will show themselves such by many external acts of charity, but, obstinately clinging to their own opinion, refuse to submit to the decision of the Holy See, or cherish sentiments at variance with its teaching, would look to themselves, and come to the conviction that he who refuses to hear the Church in everything, refuses to hear God who is with her!

In order to attain these holy results, and also to obtain the triumph and lasting peace for the Church, Thy Immaculate

Spouse, the happiness and prosperity of Thy Vicar on earth; in order to obtain the fulfillment of his holy intentions, and also that the members of the clergy may sanctify themselves more and more, and may be pleasing in Thy sight; for so many other intentions, also, which Thou, O my Jesus, knowest to be conformable to Thy divine will, and which will help in some way to the conversion of sinners and to the sanctification of the just; in order that all of us may one day make sure the eternal salvation of our souls; in fine, because I know, my Jesus, that I shall thus be doing a thing very pleasing to Thy most tender heart; prostrate at Thy feet, in the presence of Mary most holy, and of the whole celestial court, I acknowledge solemnly that by every title of justice and gratitude I belong wholly and only to Thee, my Redeemer Jesus Christ, only source of all good, both in my body and my soul, and in union with the intention of the Sovereign Pontiff, I consecrate this congregation and myself to Thy most Sacred Heart; myself and all that I have; I wish to love and serve It alone with all my soul, with all my heart, with all my strength, making Thy will mine and uniting all my desires to Thine.

We also consecrate to Thy Divine Heart, O Jesus, and place under Thy protection the whole Diocese of Pittsburg, its Bishop, priests, religious and faithful, its Churches and Congregations, its Seminaries, its Schools, and all its religious and charitable institutions.

Lastly, as a public token of this consecration which I make, I declare solemnly to Thee, O my God, that, in future, to the honor of the same Sacred Heart, I wish to observe, according to the laws of the Church, all the feasts of obligation, and to procure their observance by all those over whom I have any influence or authority.

Placing together in Thy amiable Heart all these holy desires and resolutions, with which Thy grace inspires me, I trust that I may thus be enabled to make some atonement to It for the many insults It receives from the ungrateful children of men, and find happiness for my own soul and for the souls of all my neighbors, in this life and in the next. Amen.

(Für den 8ten December.)

WEIHE-GEBET ZUM HEILIGSTEN HERZEN JESU.

O Jesu, mein Erlöser und mein Gott, ungeachtet deiner grossen Liebe zu den Menschen, für deren Erlösung du all dein kostbares Blut vergossen, wirst du von ihnen so wenig wiedergeliebt, ja sogar verachtet und beleidiget, namentlich durch die Gotteslästerungen und die Entheiligung der Feiertage. Ach könnte ich doch deinem göttlichen Herzen irgend eine Genugthuung leisten! Könnte ich den schnöden Undank, welcher dir von der Mehrzahl der Menschen zu Theil wird, in etwas sühnen! Ich wünschte dir beweisen zu können, wie sehr ich verlange, vor aller Welt dein anbetungswürdiges und liebevolles Herz wieder zu lieben und zu verehren, und dadurch nach Kräften deine grössere Ehre zu fördern. Ich möchte durch dasselbe die Bekehrung der Sünder erlangen, und den geringen Eifer so vieler Anderer wieder entflammen, welche zwar so glücklich sind deiner Kirche anzugehören, aber dennoch kein Herz haben, weder für dich und deine Ehre, noch für deine Braut, die heilige Kirche. O, könnte ich auch von diesem göttlichen Herzen die Gnade erlangen, dass auch jene, welche zwar durch manche Werke der christlichen Liebe sich immer noch als katholische Christen zu erkennen geben, allein zu sehr auf ihrem Urtheil bestehen und den Entscheidungen des heiligen Stuhles sich nicht unterwerfen wollen, oder Meinungen hegen, die von dem unfehlbaren Lehramte verworfen sind, — endlich in sich gehen und zu der Erkenntniss gelangen, dass, wer nicht in Allem die Kirche höret, Gott selber, welcher allezeit bei der Kirche ist, den Gehorsam versagt. Ich möchte ferner erflehen den Triumph und beständigen Frieden der Kirche, deiner makellosen Braut, Heil und Segen und Erfüllung aller frommen Wünsche deines Statthalters auf Erden, immer grössere Tugend und Heiligkeit der Priester der Kirche. In all diesen frommen Meinungen und in Vereinigung mit deinen göttlichen Absichten zur Bekehrung der Sünder, Heiligung der Gerechten und Erlangung der ewigen Seligkeit für uns alle, und endlich weil ich weiss,

deinem göttlichen Herzen dadurch wohlzugefallen, hingeworfen zu deinen Füssen, in Gegenwart der allerseligsten Jungfrau und des ganzen himmlischen Hofes, lege ich hiermit das feierliche Bekenntniss ab, dass es höchst billig und gerecht ist, dir gänzlich und allein anzugehören, O Jesu, mein Erlöser, du einzige Quelle aller Güter meines Leibes und meiner Seele, und in Vereinigung mit der Meinung des heiligen Vaters, weihe ich mich selbst, und Alles, was mein ist, diesem heiligsten Herzen, das ich allein zu lieben, dem ich allein mit meiner ganzen Seele, mit meinem ganzen Herzen und allen meinen Kräften zu dienen entschlossen bin, indem ich deinen Willen zu dem meinigen mache, und alle meine Wünsche mit den deinigen vereinige.

Um endlich diese Weihe meines Herzens öffentlich zu bekunden, betheuere ich feierlich vor dir, O mein Gott, in Zukunft zu Ehren deines Göttlichen Herzens die gebotenen Festtage nach den Vorschriften der Kirche zu feiern, und für deren Heiligung auch bei Jenen sorgen zu wollen, auf welche ich durch Amt oder Stellung Einfluss ausüben kann.

Indem ich nun diese heiligen Wünsche und Entschlüsse, sowie deine Gnade sie mir eingegeben, in dein liebenswürdigstes Herz vereint niederlege, hoffe ich demselben einen kleinen Ersatz bieten zu können für die zahllosen Beleidigungen, welche der Undank der Menschenkinder ihm zufüget, und so für meine und aller meiner Mitmenschen Seelen, Heil und Segen zu erlangen für Zeit und Ewigkeit. Amen.

CHURCH COMMITTEES.

To promote uniformity of discipline and aid the pastor in the temporal affairs of the congregation, the Plenary Councils of Baltimore have decreed that the Bishop may authorize several worthy and prudent laymen to act as a Church Committee.

1. When the Bishop does not appoint a Committee, four or more lay auxiliaries, or Committee men, are to be elected every three years by the congregation from names proposed by the pastor of the Church. For each member of the Com-

mittee to be elected two or three eligible persons must be nominated by the pastor.

2. The members of this Committee must have the written approval of the Ordinary, that is, of the Bishop of the Diocese, before they may enter upon the duties of their office, and can be removed by him from office for just cause.

3. Any male member of the parish over twenty-one years of age is entitled to a vote at Church meetings, and eligible to serve as a Committee man, provided he is an exemplary Catholic, has complied with his Easter Duty, paid pew rent, or otherwise contributed regularly to the support of the parish during the twelve months preceding the election, belongs to no secret or forbidden society, and does not neglect to send his children to catechism and to a catholic school, where there is such a school.

4. It is the duty of the Committee to co-operate with the pastor, and to obey strictly the Statutes of the Diocese in all temporal business of the parish; and, as far as possible, to assume the labor of providing the means to pay the debts and expenses of the parish, so that the pastor may be able to devote himself chiefly to the spiritual care of his flock.

5. No property is to be purchased, and no new parish building, church, school, or residence, exceeding five hundred dollars in cost, is to be erected, nor may any similar parish building be removed or destroyed, without written authority from the Bishop.

6. No debt over five hundred dollars is to be incurred, and no expenditures of money, amounting to five hundred dollars more than the ordinary annual expenses of the parish, are to be made during any year without written permission from the Bishop.

7. The practice of accepting deposits or loans of money from a number of individuals has proved, in some instances, a cause of trouble, anxiety and injury to pastor and people, and henceforth will not be tolerated.

8. The Committee and pastor (who is ex officio President of the Committee, and Treasurer of the funds of the Church)

should meet at least once in three months, in order to go over the books, receipts, expenditures, etc., so as to ensure an accurate entry and account in the parish books of all business transactions, and to be prepared to render to the Bishop, each year, on or before the first day of February, a statement of the receipts, expenditures, loans, debts and other affairs of the parish, as set forth in the form furnished by the Chancellor of the Diocese. This annual statement is to be signed by the Church Committee, which will be held responsible for its accuracy.

9. All deeds or titles to Church property must be held in the name of the congregation by the Bishop as Trustee, according to the form approved for this Diocese. (See form of deed at the end of this article).

10. The Church Committee cannot make any new laws or regulations for the parish without the knowledge and consent of the Bishop.

11. The Committee and all members of the congregation must understand that the authority to name, invite or appoint the pastor of the Church, determine his salary, or to retain or remove him, pertains to the Bishop of the Diocese, from whom alone priests receive their jurisdiction, place and office.

12. It belongs to the pastor to appoint the organist, singers, sacristan, beadle, school teacher, and all such persons as are employed in the service of the altar or of the Church.

13. If any disagreement or difficulty in temporal or spiritual affairs arise between the pastor and Committee, or any member or members of the congregation, which they cannot settle amicably among themselves, in accordance with the laws of the Church, the dispute is to be submitted to the Bishop in writing, and all shall abide by his decision.

FORM FOR DEEDS OF CHURCH PROPERTY.

This Indenture made .... day of .... nineteen hundred and .... between John Smith, of the City of Pittsburg, County of Allegheny, and State of Pennsyl-

vania, party of the first part, and Right Reverend Regis Canevin, Roman Catholic Bishop of Pittsburg, party of the second part,—

WITNESSETH, that the said party of the first part, for and in consideration of the sum of .... dollars, ... has granted .... and by these presents doth grant .... convey and confirm unto the said party of the second part, his heirs and assigns forever,

ALL that certain tract of land ....

....

TO HAVE AND TO HOLD said tract of land in trust, nevertheless, for the Roman Catholic Congregation of St. Church, Pittsburg, Pa., etc., etc.

N. B.—The word "*Successor*" (or "*Successor in Office*") after the Bishop's name, should not be allowed in the deed; and a separate acknowledgment of the wife of a grantor should be taken—the recent law to the contrary notwithstanding.

Facultates Dioecesios Pittsburgensis.

I. Celebrandi Missam per unam horam ante auroram, et aliam post meridiem, sine ministro, etiamsi altare sit fractum, vel sine reliquiis sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit.

II. Benedicendi paramenta et alia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit unctio sacra; et reconciliandi ecclesias pollutas, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

III. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos illudque sine lumine retinendi, si adsit periculum sacrilegii.

IV. Singulis secundis feriis non impeditis, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi Missam *de Requiem*

in quocumque altari etiam portatili, cum privilegio indulgentiae plenariae pro defunctis per modum suffragii.

V. Administrandi omnia sacramenta, Confirmatione et Ordine exceptis.

N. B. Praecipimus autem omnes Nostrae ditionis Confessarios, **sub poena suspensionis ipso facto incurrenda.**

Ut neque per seipsos neque per alios quoscunque, sub quocunque praetextu, recipiant ablata ex fidelibus occasione vel intuitu Confessionis sacramentalis, (ante, in decursu vel post Confessionem) vel ut tradant aut permittant ut alii quicunque tradant schedulas, quocunque pretio appretiatas aut emptas, quae admittant fideles ad confessionem instituendam aut ad quaecunque alia sacramenta recipienda.

Ut recipiant et absolvant — dummodo aliter sint dispositi — omnes ad confessionem accedentes, etiamsi nullam schedulam exhibeant aut nullam pecuniam solvant vel tradant in hunc finem.

VI. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia; injuncta aliqua eleemosyna vel poenitentia, arbitrio dispensantis.

VII. Absolvendi ab haeresi vel apostasia a fide, et a schismate; etiam ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares, iis exceptis qui deliquerint in locis ubi Sanctum Officium exercetur.

VIII. Absolvendi ab omnibus censuris in Bulla *Apostolicae Sedis* reservatis, excepta absolutione complicis in aliquo peccato contra sextum: neque absolvere valeas (a) sacerdotem qui nefandi criminis sollicitationis reus fuerit, vel qui complicem absolvere attentaverit; (b) personam cujuscumque sexus qui falso denuntiaverit sacerdotem de sollicitatione, vel mandantes, consulentes, suadentes ad hoc vel quocumque modo procurantes falsam accusationem; (c) illos qui irretiti sunt censura ab homine lata, vel qui coram praecone acatholico aut magistratu civili matrimonium contrahant vel attentant; (d) illos qui divortio civili sejuncti, ad nova transire vota matrimonialia attentare audeant; (e) illos quoque qui matrimonium cum divortiatis contrahant vel attentant.

IX. Dispensandi, quoad Ordinum jam susceptorum exercitium, in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis quae proveniunt ex bigamia vera, vel homicidio voluntario, vel ex exercitio ordinis aut jurisdictionis, dum quis ex sententia, a Nobis prolata, ab illis suspenditur.

X. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera: exceptis castitatis perpetuae, et illis quae in communitate religiosa emissa sunt.

XI. Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, confessis ac Sacra Communione refectis.

XII. Concedendi Indulgentiam Plenariam primo conversis ab haeresi: atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non valeant.

XIII. Lucrandi tibi easdem Indulgentias.

XIV. Dispensandi, quoad matrimonia praeterita invalida, inter Catholicos in tertio et quarto consanguinitatis, et affinitatis gradu, simplici et mixto tantum; et in secundo, tertio et quarto mixtis; et in secundo solo cum eis qui ad fidem Catholicam convertuntur; et in praefatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

XV. Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

XVI. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, et restituendi jus amissum petendi debitum.

XVII. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

XVIII. N. B.—Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet: 14ª, 15ª, 16ª, 17ª, concedendae non sunt, nisi cum clausula; "dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat." Concedendae autem sunt *gratis omnino*.

XIX. Recitandi privatim, legitima concurrente causa, Matutinum cum Laudibus diei sequentis, elapsis duabus horis post meridiem.

XX. Recitandi Rosarium si Divinum Officium, ob aliquod legitimum impedimentum, recitare non valeas.

XXI. Benedicendi coronas praecatorias, cruces et sacra numismata, eisque applicandi indulgentias a S. Sede concessas. (Vide Con. Balt. II. Append. xxx., p. 340.)

XXII. Erigendi in locis tuae parochiae vel missionis, Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo et Bonae Mortis, cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum quae Summae Pontifices eisdem Confraternitatibus impertiti sunt.

XXIII. Faciendi tuam confessionem intra limites dioeceseos Nostrae, apud quemlibet sacerdotem in alia dioecesi approbatum, iisdem facultatibus ad hoc illi concessis quibus tu ipse frueris.

XXIV. Alias autem facultates, si quae hucusque concessae fuerint, revocamus.

Datum, Pittsburgi, ex Aedibus Nostris, die ..... mensis , A. D. 190......

Episcopus Pittsburgensis.

Cancellarius.

De Inquisitione facienda in casu Amotionis vel Translationis Rectoris cuiuslibet Missionis.

Sacerdos, a sua missione amovendus vel transferrendus, libros rationis accepti et expensi et inventarii ita perficere debet ut illos perfectos per Decanum vel Delegatum successori tradere valeat. Libelli pro receptis et expensis pecuniis — vouchers and receipts — praesto esse debent. Decani Ruralis vel Delegati est, ut, aut per se aut per viros expertos, inquirat et examinet num libri tradendi sint ad normam Statutorum dioecesanorum conscripti; num quae inscribenda vere inscripte sint; inspiciat libellos pro pecuniis receptis et expensis; inquirat de aere alieno quocum gravata sit Ecclesia, et de aliis necessariis, ut de bono ordine et veritate ipsi constet.

Sacerdos successor, vel cum Decano, vel antea, libros rationis inspiciat examinetque, informationes necessarias quaestionibus antecessori vel aedituis panditis, nomen suum tamquam fidem pro eis spondens non apponat, sicut nec Deca-

nus nec alii, donec de veritate constet. Omnibus in bono ordine ad finem perductis, Decanus sinat nomina tam Rectoris antecedentis, tam aedituorum per ipsos apponere. Rector successor fidem pro rebus in libris scriptis spondens, nomen suum subscribat.

NOTANDA.

The Holy See in 1881 granted to every church and chapel of this diocese the privilege of two low masses of requiem each week, on feasts of double rite, except on those days especially mentioned in the rubrics. This privilege pertains to the church or chapel, not to the priest; and therefore can be used but twice in the same week, even though a number of priests celebrate Mass in the same place.

Any priest exercising the faculties of the diocese can use the shorter form of baptism (ordo baptismi parvulorum) in baptising adults until otherwise ordered.

In accordance with the Diocesan Statutes, and III. Plen. Conc. Balt., 282, it is required that all deeds of church property be sent to the Chancellor. Please mark on deed the purpose for which the property is used; as, church, school, house, convent, cemetery, etc. Without the special written permission of the Bishop it is strictly forbidden for any priest or layman to have in his own name the title or deed of property used for church, school, convent, pastoral residence, cemetery, or for any other church purpose. (III. Plen. Conc. Balt., 280.)

The Bishop's written permission is required for tearing down or demolishing any congregational building.

To prevent and guard against abuses in connection with Church and Society Picnics, Excursions, Festivals, etc., the following regulations are prescribed:

1st. Societies that are organized for beneficial purposes, and whose benefits are confined to their own members, or societies that are organized for private ends and interests, cannot be permitted to appeal to the public by picnics, excursions,

festivals, suppers, lectures, etc., to raise funds for their own private use and benefit. Public appeals must be for public charities, and societies cannot be permitted to appeal to the public, except where the moneys so raised are to be used for, and in the interest of some public charity.

2d. The sale of wine, beer, or any other kind of intoxicating liquors at Church or Society picnics, excursions, festivals, suppers, etc., is strictly forbidden and will not be permitted under any excuse or pretense whatsoever.

3d. Moonlight excursions, picnics, continued till after nightfall, meetings of the people where morals or good behavior are endangered are strictly forbidden.

4th. Before any picnic, excursion or supper, whether for Church or Society purposes, can be held, the *written* permission of the Ordinary must be obtained.

Pastors should have all parish buildings amply insured against fire. Every priest should leave some bequests for charity, and sign his will in the presence of, at least, two subscribing witnesses.

Nuns are forbidden to take charge, as sacristans, of the sacristies and sanctuaries of parish Churches, or to perform any menial work in or around the parish Church.

FORMS TO BE USED IN APPLICATIONS SENT TO THE CHANCELLOR FOR DISPENSATIONS OR PERMISSIONS.

Form I.—For Dispensations. (See page 66 et seqq.)

To the Right Rev'd Bishop of Pittsburgh:

N............. of .... parish and N............. of .... parish respectfully ask a dispensation from the impediment of .... (or from .... proclamation of the banns).

The reasons for asking the dispensations are ....

Respectfully submitted.

.... Pastor.

N. B.—All applications for dispensations in matrimonial cases, for faculties, or for permissions of any kind, must be

made according to approved forms and addressed as statutes direct, to The Bishop's Chancellor.

In writing on business please observe the following: Do not place more than one application on the same sheet of paper; for dispensations (*a*) give, *si nihil obstat*, the names of those who ask the dispensation; (*b*) state, *sub poena nullitatis*, the *canonical reasons* for the dispensation;* (*c*) for mixed marriages state whether the non-Catholic is baptized or not.

The Chancery tax must always be sent with the application for a dispensation, unless asked in *forma pauperum* at the request of the contracting parties, and in such cases the pastor, or the priest officiating at the marriage, is forbidden to accept any offering from them sub quocumque titulo.

The Chancellor will grant no dispensation or permission, unless asked for in writing.

Only absolute necessity justifies sending for a dispensation by telegraph, and in every case canonical reasons must be given, before a dispensation can be lawfully granted.

The Chancellor's office, in Episcopal residence, will be open from 10 A. M. until 3 P. M.

* S. C. de Prop. Fide, die 9 Maii 1877; vide Gury II. 866–867; Konings N. 1625; Lehmkuhl II. N. 800–801; Dioc. Stat. App. Page 74—78.

Form II.—Permission to hold Fair, Picnic, or Festival.

Permission is requested to hold ....

....

The regulations of the Diocese concerning entertainments shall be faithfully observed.

Respectfully submitted

.... Pastor.

Form III.—Permission to Borrow or Expend Money.

To the Rt. Rev. Bishop of Pittsburg:

We, the undersigned Pastor and Committee of .... Church, ... Pa., hereby request permission to expend the sum of $ .... for the purpose of ....

Of this sum we wish to borrow on mortgage or note .... $..................

Number of families in the parish ....

Total present debt of congregation........................... $..................

Cash on hand.. $..................

Income last year from pew rent, door and church collections.. $..................

Other sources, namely .... $..................

.... $..................

We guarantee that the sum stated will fully cover the total cost of this work (or purchase of this property) and that every possible expenditure is contained in our estimate, including the cost of all interior work — decoration and furnishing—pews, altars, windows, heating, gas fitting, plumbing, etc., etc.

Dated the .... day of .... 190....

.... Pastor.

.... Committee.

N. B.—The *written permission* of the Ordinary is required before any congregation can buy or sell property, or expend in one year, any sum or sums of money, exceeding, in the aggregate, five hundred dollars ($500) more than the usual current expenses of the parish.

Permission to *expend* is not permission to *borrow* money or create a debt. Permission to *expend* money means the outlay of money already on hand.

DIOCESE OF PITTSBURG.

ANNUAL REPORT.

PITTSBURG, PA., January 1st, 19.....

Rev. and Dear Sir:—

Please fill up this Report, and return, duly signed, to the Chancellor before March 1st, 19.....

✠ R. CANEVIN,
Bishop of Pittsburg.

REPORT OF ST. .... CHURCH .... Pa.,

From January 1st to December 31st, 19.....

No. of Mixed Marriages . . . .
" Catholic Marriages . . . .
" Boys } in Parochial Schools } .... Total ....
" Girls } ....
" Baptisms . . . .
" Families . . . .
" Souls . . . .
" Deaths . . . .
" Easter Communions . . . .
" Children in Public Schools . . . .
" Male Teachers . . . .
" Female Teachers . . . .

(If Religious, give name of Community.)

....

....

Have you any deeds of Church property in your possession? . . . .

Have you paid Seminary, Diocesan and Cathedratic Assessments, up to the year 19..... inclusive? . ...

Amount Insurance on Church . . . $......................
" " School . . . .
" " Pastoral Residence ....
" " Other Property . ...
Total . . . .

Expires ....

FINANCIAL STATEMENT.

Ordinary Church Receipts.

Pew Rents
Door Collections
Penny Collections
Monthly Collections
School Collections
Cemetary
All other Sources

Total ______________

Diocesan and Foreign Collections.

Diocesan Assessment
Orphans' Fund
Papal Fund
Holy Land Fund
Indian and Colored Missions
Protectory Fund
Washington University

Total ______________

Extraordinary Receipts.

Subscription for
Income from Church Property
Entertainments
Donations and Bequests
All other Sources

Total Extraordinary Receipts ______________

(Loans authorized)

Ordinary Expenses of Church.

Salary of Pastor
" of Assistant
" of Sexton
Choir expenses
Cemetery expenses
Insurance
Taxes
Other usual expenses of Church
Other usual expenses of Rectory

Total Church Expenses ______________

School expenses, Salaries of Teachers
Other usual expenses

Total Church and School Expenses

DIOCESAN AND FOREIGN FUNDS.

Diocesan Assessment
Orphans' Fund
Papal Fund
Holy Land Fund
Indian and Colored Missions
Protectory Fund
Washington University

Total

EXTRAORDINARY EXPENSES.

Interest paid on Debt
Amount paid on Principal of Debt
Furniture for Church and School
" for Pastoral Residence
Repairs of Church and School
" Pastoral Residence
New Grounds
New Buildings

Total Extraordinary Expenses

SUMMARIZED STATEMENT.

Balance on hand, according to last Financial Report $..........
Total ordinary Church Receipts . . . .
" Diocesan and Foreign Collections . . ..
" Extraordinary Church Receipts . . . .
" Loans . . . .
Total . . . . . $..........

Total Ordinary Expenses of Church and School . $..........
" Diocesan and Foreign Expenses . . . .
" Extraordinary Expenses on Church, School and Rectory — including Amount paid on Interest and Principal of Debt . . . .
Balance on hand, January 1st, 19.... . . . .
Total . . . . . $..........

Cash Receipts (exclusive of loans on
last year's balance) . . . $..................
Total present Debt of Congregation . $..................
interest at..............per centum.

....Pastor
....Secretary
....Treasurer

We, the undersigned Committee, hereby certify that we have examined the above Financial Report, and find it to agree with the vouchers and books of accounts in the hands of the Treasurer of the Congregation.

....
.... Committee
....
....

Dated, December 31st, 19.....
Examined..19.....

....
Bishop of Pittsburg.

INDEX RERUM ALPHABETICUS.

A. M. D. G.

